FRANCISCI
ANTONII VIVOLI
PHILOSOPHI
NEAPOLITANI

IN ALMO GYMNASIO NEAP. LIBROS
Poſteriorum ordinariè profitentis,

QVAESITVM, AN SINGVLARE SVBSTANTIAE NAturaliter, & per ſe de ſe ipſo. an de alio ſubiecto prædicetur, Logicis omnibus perneceſſarium.

AD PERQVAM ILLVSTREM DOMINVM
Ioannem Bernardinum Longum Comitem Palatinum
philoſophum inſignem ac Regni Neapolitani
Archiatrum digniſſimum.



NEAPOLI.
Apud Horatium Saluianum.
M D LXXXV.

ADMODVM ILLVSTRI DOMINO
IOANNI BERNARDINO LONGO
COMITI PALATINO,
SVMMO PHILOSOPHO NEAPOLITANO,
atque Archiatro regni Neapolitani digniſsimo.

FRANCISCVS ANTONIVS VIVOLVS PHILOSOPHVS
æternam fœlicitatem.

OMNIVM rerum, quas natura produxit nullam præſtabiliorem, vnquam duxi, Illuſtris comes Palatine huiuſq; Regni Neapolitani excellens, atq; digniſſime Archiater quàm ſi quodcunq; mortalis humanitas alacri animo, atq; erecto agrederetur id omne ad hominum vtilitatem, fructumq;, conuertere conaretur: eoq; magis quia diuini Platonis circumuallatur celeberrimo elogio ad vſum hominũ cuncta queq; creata, homines autem hominum cauſa fuiſſe generatos, vt ipſi inter ſe alij, alijs prodeſſe poſſent, eſſeq; homini, homo DEVS, non autem lupus debeat, vnde ſit vt ſi nulla alia cauſa humanitas impelleretur ad homini bene optandum, hoc dumtaxat vnum quod is homo ſit optime velit eſſe conſultum ſatis foret, cumq; cetera animalia rationis expertia concernantur nunquam in ſua ſpecie ſibi inuicem niſi mira feritate ducta officere ſolita ſint, Hinc eſt ꝙ belluæ tunc temporis rapiunt, cũ exuriunt, parcunt prede cùm ſatietatem ſenſerint; atqui leo ſi quam fuerit feram nactus reliquã partem ſemicomeſam derelinquere minimè grauatur: quod ſi in belluis hoc offenditur, quanto in homine naturalius, id exactius; admirabiliusq;, & debet & poteſt perſpici & experiri? qui pudoris verecundieq; particeps, coniunctionis hominũq; ſocietatis appetens, mentis viribus excellens, quaſi diuino quodam ſpiritu afflatus, nihil niſi honeſtè, ac decorè excogitat, nihil niſi conſideratè vtiliterq; agit, præuidet, ac dicit, & profectò haud immeritò, nanq; cetere res, quæ expetuntur opportune ſunt ſingule res ferè ſingulis, diuitiæ vt vtamur, opes vt colamur, honores vt laudemur, voluptates vt gaudeamus, valetudo vt dolore careamus, & muneribus fungamur corporis, amicitia vt rebus in aduerſis profugium, ac ſolatium præbeat, ſecundas res ornet, delectet, nõ impediat domi, cõmunibuſq; officijs fungatur. cui accedit philoſophos illos, qui toto animo, totoq; pectore contẽplatiue ſeſe philoſophie addixerunt, ac dediderunt, nullo pacto in eorum electo vitæ genere fuiſſe laudi datos, nam qui ſaltem ex aliqua parte mortalibus minus proſunt, quaſi fruſtrà ex DEO animas hauxiſſe dixerim, omnem enim virtutis laudem in actione conſiſtere, quis mentis compos vnquàm ibit inficias? hinc iure optimo Socrates laudandus occurrit, qui fructum nullũ ex naturalis philoſophiæ ſpeculatione percipiens, de vita boniſq; moribus, & malis inquirere exorſus eſt; Aethycen primus edocuit, feroſq; homines, ex agreſtibus moribus, ad iuſtitiam politamq; aduehendo expoliuit, grauiſſimè accuratiſſimèq; tutatus eſt, etenim cui non exploratum eſſe poteſt mundi motus, conuerſioneſq; cuiquàm non prodeſſe? ſydera intueri innumerabilia, cæloq; inherentia certis infixa ſedibus, ſeptẽ alia ſuos tenere curſus, multò inter ſe diſcrimine ſiue proceritate, ſeu humilitate quid intereſt noſſe? initia rerum; indagationem diuturnam vndè ſint omnia orta & generata, & creata, qui ſit cuiuſq; generis ortus vel animati, vel inanimati muti, vel loquẽtis originem intelligere vndè tremor terris, qua ui maria alta tumeſcant, quibus librata ponderibus terra ſuſtẽtetur, vtrum cælum ſub terræ viſceribus, quà ſol ad noſtram plagam circumducatur, quæ vita quis interitus, quę cuiq; viciſſitudo, ex alio in aliud mutatio, ac tranſmigratio detur quibus omnibus & alijs rationibus concitatus, hoc opuſculum quantitate minimum, at verò qualitate maximum (ni fallor) quò & tyro-

num ingenia minus torquerentur, & philoſophorum ſeniorum quaſi quodam modo oblectarentur acumina edidi: eſt etenim theorema hoc de demonſtratione ſic inuolutũ ambagibus, æquè à græcis, atq; latinis interpretibus; vt minus minuſq; ſuo ſenſu poſſit patere legentibus iterum atq; iterum ſenſus: En ipſe non paucos liuidos, & ieiunos homines cynicosq; Diogenes extimeſcens, cui potiſſimũ dicarem quàm tibi occurrit ſanè nemo Illuſtris Bernardine Longe Comes q; palatine huius clariſſimi Regni Inclyte Archiater: cum quia tibi magis quàm meis parentibus obnoxiũ eſſe me ingenuè confiteor, vt ei ex quo omnia quæ in me inſunt bona profecta ſunt, munificentiſſimè, ſapientiſſimeq;, tum tibi tanquàm meo, & fautori ſingulariſſimo, & benefactori vniuerſa accepta refero: quibus tot tantisq; officijs in me collatis, quomodo, & quibus verbis referre gratiam queam; non equidem inueniens grati ſaltem animi veſtigia tibi pando; non eſt enim quiſquam, nec grauitate te maior, nec authoritate ſublimior, prudentia ſolidior, ſapientia magis refertus, ſiue diuina, ſiue naturali, iudicio, nec acrior, famæ celebritate nemo celebrior, non bonitate inſignior, non charitate præſtantior, non erga domeſticos ſolum, verùm erga eos quos numquam cõſpexeris, omnitto munificentiam in omnes, humanitatē inter æquales (ſi quis forte reperiri poſſit) vrbanitatem in infimos pietatem erga patriam, ſingulare conſilium in languentes, vitæ integritatem, humanarum rerum conſtantiam atq; tolerantiã, quandoquidē nihil in te vnquam vidi, aut dolore fractum, aut inconſtantia odibilum; Quid præterea de ſumma eloquẽtia narrem? cum nihil ex tuo ore putidum, ſiue obſcurum vnquam elluxerit? cuius verba vti Ariſtotelis, & Galeni fuere, adeò magni ponderis ſunt, quin imò tanquã Apollinis oracula credita & excepta. Tu maximus vnus ex Parthenopeis extitiſti, quem tui compararem neminem habeo: preferam autē omnibus; vt queadmodum Fabio Maximo Roma, Solone Athenæ, Lycurgo Lacedemonia gloriantur, pariter te ad otia nata Parthenope, etiam illud dicere auſim ſi medicinæ ars manca fuiſſet à maioribus deſtituta, tui ingenij claritate complẽdam fore; cuius rei argumento eſt tãto te excellentiorem exiſtere, & inter alios mortales coruſcare, quantò rebus in arduis te fortuna ſeruauit, Rexq; Philippus hac te tempeſtate turbulenta hoc ſupremo munere honeſtauit, donauitq;, qui hominum malitijs potiſſimùm occurreres communi omnium ſaluti moderareris, fraudes coërceres, doloſos deprimeres, in bonam frugem redigeres, proteruos multorum mores corrigeres, inſontibus dares veniam, à noxijs pœnam ſumeres, curaq; humanum genus ex animo, & corpore conſter haetenus longè, latèq; per cunctam Italiam, totamq; Europam, & philoſophiæ cognitione remedia animis porrexiſti ac diffudiſti; reliquum erat vt corporis quoq; valetudini inuigilares communi, nec quiſquàm qui non tuam opem ſentiret reperiretur. te quippe (abſit adulatio verbis) iniuria maxima tẽpus afficit, quòd tandiu ſuſceptos tot labores minimè remunerata fuerit ità vti meritò cuncta literatorum turba exclamare valeat, te nunc facimus fortuna claram, cæloq; locamus, quòd poſt tot luſtra (nec ſatis tamen dignè) quem muneribus affeceris literatum oſtenderis cuius ex vberrimo fonte omnes muſarum alumni aquam hauriendo ſitim ſedent ſed hæc quid egò ingrata reuoluo? cum priuata laudatione non egeat, quod publico omnium præconio preferatur? ſatius eſſe duco ſilere, quàm pauca admodum dicere. Tu enim ea perfeciſti, quę Plato viuens moriturus, ille per orbem terrarum peragrauit, vt ſapientiam adipiſceretur: tu tot innumerabilibus ſtudentibus dilucidaſti reconditam, ille rerum humanarum, diuinarũq; caligine caliginabat, at tu: in omnium pectoribus ære peremniorem reliquiſti, & relinques Sub tuum igitur: dum confugio tutum amorem, tutioremq; anchoram, metuendum, meaſq; lucubrationes protegendas ſuſcipito, quo duce, & me perpetuę memorię comendes & ab omnium iaculis iniquiſsimorum futurus ſim tutus. Interim fęliciter, Vale.

FRANCISCI ANTONII VIVOLI NEAPOLITANI.

QVAESITVM, AN SINGVLARE PRAEDICETVR.

PRAEFATIO.

PERSPICACISSIMVS ille naturę veſtigator Ariſtoteles in 4. meteo. 28. nec non 2. phy. 22. 79. artem imitari naturam, memoriæ proditum reliquit, & cũ in natura admirabilis reperiatur ordo, veluti 8. phy. 15. teſtatur dicens. (Nihil eorum, quę natura cõſtant, inordinatum eſt) & 3. cęli 24. (ordo eſt propria natura ſenſibilium) quemadmodũ igitur in natura reperitur ordo, ſic & in arte: vt protulit Auer. 1. poſt. 41. 56. & 2. poſt. 94. & in 4. quęſito poſt. ac demum 1. cęli 2. tunc artes, & ſcientię ſunt veræ, cum inſequuntur opus naturę. Hinc eſt, quòd cùm Galenus quartam dari figuram protulerit: merito ab Auer. 1. priorum. cap. 7. obiurgatus fuit, cùm naturæ ordinem minimæ inſequutus fuerit. Cum igitur in omnibus entibus ordo reperiatur, 12. met. 52. ac 2. de gen. & corrupt. 57. propterea rationi cõſonum eſſe duxi, cum vt periti artificis munere fungar, tum etiam vt Ariſt. & Auer. ac deniq; naturæ dogmata ſequar, vt ordo ipſe in hoc quęſito pro duce habeatur: cum ordo (vt Cicero 2. de Oratore affirmat) ſit, qui memoriæ maximè lumen affert, ordo enim confuſionem aufert: & rebus explicandis plurimum cõducit, & (vt ſapientiſſimus aſſerit Plato) ab eo, qui ordine caret, pręſtat non diſcere. Quocirca in præſenti quęſito, vt clarius, & magis diſtinctè vera Philoſophi percipiatur ſententia, hunc ſequar ordinem. Primo quęſiti titulum enucleabo. Secundo aliorũ poſitiones cum earum confutationibus afferam. Tertiò veram Ariſt. & Auer. opinionem cum demonſtratiuis rationibus dilucidabo. Quartò, & vltimò aduerſariorum rationes eradicabo.

IN QVO QVAESITI TITVLVS DECLARATVR. Cap. I.

QVONIAM notitia quid nominis eſt principium, caput, fons, et origo omnis noſtrę cognitionis, dilucidiſſimo referẽte Themiſtio 1. poſt. cap. 1. & 2. poſt. cap. 9. Quicunq; ad aliquam intellectualem doctrinam, aut diſciplinam accedunt, neceſſe eſt, vt principia quædam naturalia teneant, vnde aliquid de iis, quorum amplexuri ſcientiam ſunt prænoſcant. Non. n. omnia accipere poſſumus à docente, ſed aliqua ſunt, quæ quaſi ſuppetias ad diſcendũ domo afferre oportet, ſine quibus aditum fruſtra in ſcholas ferimus. quod ratione etiam manifeſtatur. Ariſt. enim 7. met. 23. 3. ethic. cap. 6. finis in arte eſt præcognoſcendus, ſed cognitio quæſiti eſt finis doctrinæ in arte, ergo quæſitũ, quod quæritur, debet præcognoſci præcognitione qd nominis, quæ dicitur dirigens confuſa, non diſtincta: quia facit confuſam rei cognitionem, vt ait Auer. 1. poſt. 79. quæ omnia Ariſt. firmauit 1. poſt. 1. 2. poſt. 101. 1. met. 48. & 6. top. in primo loco definitionis. deniq; 6. ethic. cap. 4. [omnis doctrina, omniſque diſciplina intellectiua ex præexiſtente fit cognitione.] Primum ergo, quod declarandum occurrit eſt ille primus terminus ſcilicet, quid eſt ſingulare, verum antequam ad ipſius declarationem deſcendam præceptũ Ariſt. imitabor 1. cæli. 110. [ſi quis eo, quod multipliciter diuiditur, tanquam indiuiſibili vtatur: neceſſe eſt, intellectum indeterminate ſe habere] ideſt omne nomen æquiuocum, & multiplex ſi in ſua ſignificata non diſtinguitur, dubius, atq; confuſus reddetur intellectus: ac etiam 1. elenchorum. dixit (qui nominum virtutis ſunt ignari paralogizant] & in 2 top. loco 7. & 8. aſſerebat. [Diuidere quod multipliciter vtile] & Auer. 7 met. 36. 4. phy. 24. [Artifex demonſtratiuus diſtinguit nomina æquiuoca] 1. poſt. 33. [expedit docenti per nomen æquiuocum, quod diuidat nomen æquiuocum in ſua ſignificata: & dirigat ad ſignificatum, de quo intẽdit ſermonem habere] & 3. de anima 20. [non eſt recte vti in doctrina verbis æquiuocis] aſſignans cauſam in 4. met. 2. dixit [quoniam ars nõ conſiderat de æquiuoco] ſed quoniam ſingulare eſt nomen multiplex, merito venit à nobis diuidendũ, vt deinde ſumamus illud ſignificatum, de quo erit noſtra diſputatio: & vt demõſtratoris officio fungamur, ſemper ſequentes Ariſt. peritiam, & ne ab ipſo condẽnandi veniamus veluti antiqui, vt Parmenides, & Meliſſus, qui propter logicæ ignorantiam & diſtinguere neſcientes, ſed multiplici pro ſimplici vtentes, vt teſtis eſt Ariſt. 1 phy. 71. [quærentes

Cõfirm.

tentes enim Philoſophi primi veritatem, & naturam entium conuerſi ſunt veluti in viam quandam aliã, depulſi ob inexperientiam] ſubdit Auer. in com. 73. dicens [& locus deceptionis iſtorum hominum eſt, quia vtuntur eo, quod dicitur multipliciter vno modo, & ſic mixtum eſt eis verum cum falſo.] Nos autem non vt antiqui, & ſine artis peritia, ſed ſemper methodum Ariſt. inſectantes, vt & determinatè, & demonſtratiuè quæſiti veritatem inueſtigemus. Primò (vt dictum eſt) ſingulare ipſum in ea ſignificata, in quæ venit diuidendũ diuidemus, quo diuiſo determinabimus de quo nam ſignificato loqui intendimus, & ſic nil dicemus, quod non ſit methodice cum artis peritia, & peripatetice dictum. ¶ Sed dices, quare oportet

Dubit.

antequam aliquod nomen definiatur, & determinetur, vt prius diuidatur in ſua ſignificata?

Solutio.

¶ Soluitur, verum eſt notandum illud Ariſt. 1. cæli 96. vbi declarans quid ſit cælum, ſic ait [Dicamus autem primum quid dicimus eſſe cælum, et quotupliciter] reddens cauſam, cur cęlum debet diuidi, dicit [vt magis nobis manifeſtum fiat quod quæritur] ſimiliter ergo oportet, vt nos videamus quotupliciter dicitur ſingulare, vt quod quæritur fiat nobis magis manifeſtum.

Cõfirm.

¶ Quod confirmat Ariſt. 2. top. in 7. & 8. locis, vbi ait [ſi autẽ non lateat, quod multipliciter dicitur, diuidendum quotupliciter dicitur, diuidere autem quotupliciter vtile] quo ergo peracto, quæremus quid nam ſit ſingulare iuxta Ariſt. ſententiam 2. poſt. 2. 39. & 40. 7. met. 59. [impoſſibile eſt enim ſcire quid eſt, ignorantes ſi eſt.]

Quot modis dicatur ſingulare.

Apud ergo peripateticos ſingulare ſumitur multis modis, & primo modo vt eſt minus vniuerſale, veluti eſt ſpecies, vt homo: quo modo ſumpſit Ariſt. 2. poſt. 82. vbi ait] quapropter a ſingularibus ad vniuerſalia transire] a ſingularibus, ideſt a minus vniuerſalibus, ideſt a ſpeciebus oportet tranſire ad vniuerſalia, ideſt ad magis vniuerſalia, quę ſunt genera: hoc met modo in prædicam. cap. de quali. vbi dicebat. [Pene enim in omnibus qualitatibus genera ad aliquid dicuntur, nihil autem eorum, quę ſunt ſingularia.] Secundo modo dicitur ſingulare, ſeu indiuiduum nominatum, vt Marius, Ferdinandus, & dicitur nominatum, quia nomine proprio nominatur, vt Federicus, Detius. Alio modo dicitur ſingulare ſignatum cum pronomine hic, vel hæc, vel hoc, vt hic Archiepiſcopus, hęc Iuſtitia, hoc Templum; & notanter dicitur ſignatum, quia demonſtratur hoc pronomine hic, hæc, hoc. Alio modo dicitur ſingulare, vel indiuiduum vagum, vt aliquis cardinalis, de quo meminit Ariſt. in prædicam. cap. de ſubſtantia, & nota, ꝙ ideo dicitur vagum, quia multis indifferenter competere poteſt. Alio modo dicitur ſingulare, ſeu indiuiduum circumloquutũ, vt Sophroniſci filius, ſed ſcias, ꝙ indiuiduum circumloquutum non eſt vere indiuiduum, & per ſe, ſed per accidens, cauſa vero, propter quam dicitur circumloquutum eſt, quia circumſcriptione ſigna-tur. Amplius ſingulare duobus modis reperitur, alterum ſubſtantiæ, alterum vero accidentis, vt ait Ariſt. in antepredicamen. cap. 2. & Auer. in epit. log. cap. de vniuerſali, & 7. met. 2. 1. poſt. 33. clarius tamen in libro de inſomnijs cap. penultimo. vbi aſſerit: Dicamus igitur, ꝙ res ſictę quædam ſunt indiuidua ſubſtantiarum, & quædam indiuidua accidentium. Sed nota, ꝙ inter indiuidua ſubſtantiæ quædam ſunt indiuidua ſubſtantiarum ſimplicium ſcilicet partes elementorum, & quædam ſunt indiuidua ſubſtantiarum compoſitarum, rurſus indiuidua ſubſtãtiarum compoſitarum ſunt in duplici differentia, quædam ſunt habentia animas, ſicut animalia, & vegetabilia, & quædam non habentia animas, ſicut ſunt minera, & ſibi ſimilia: indiuiduorum accidentium quædam ſunt accidentia exiſtentia in indiuiduis ſubſtantiarum ſimplicium, & quædam ſunt accidentia exiſtentia in indiuiduis compoſitorum, aut in habentibus animas, aut in carentibus eis, & vterque illorum modorum aut eſt per naturam, aut per voluntatem: hæc ſunt verba Auer. Rurſus ſingulare ſecũdum Peripateticos eſt duplex, quoddam eſt corruptibile quod nunc eſt, nunc non eſt, vt Callias, quoddam vero eſt æternum, æterno, & ſempiterno tempore manens, vt Mundus, Cęlum, Sol, Luna, Phœnix, & Terra. Multa quoq; ipſius ſingularis eſſent recenſenda ſignificata, quæ breuitatis ſtudio pertranſire voluimus. Illud autem non ignorandum eſt, quòd diſputatio noſtra erit tantum de ſingulari, vel indiuiduo ſubſtantiæ nominato, vt eſt Plato, Ariſt. & Auer. an prædicetur de ſubiecto per ſe naturaliter, vel per accidens, & innaturaliter: et quoniam quæſita ſimplicia inter ſe hunc habent ordinem teſte Ariſt. 2. poſt. 1. 2. 3. ſcilicet primo

Ordo quæſitorum.

eſt quęſitum, ſi eſt, deinde quid eſt, vt quærentes quid, ideſt definitionem hominis, oportet prius habere ſi eſt hominis, quo quęſito, ſi eſt, habito, tũc quęrimus quid eſt, quod clariſſimè reliquit Ariſt. 2. poſt. 39. & 40. ſic aſſerens [impoſſibile eſt ſcire quid eſt, ignorantes ſi eſt] ac 7. met. 59. [quærere autem quid eſt, non habentes quod eſt, nihil quęrere eſt] quod confirmans Auer. 2. poſt. 32. ait, ꝙ nã quod non eſt, nemo ſcit quid ſit, ideſt ꝙ id, quod eſt ignotum eſſe, aut penitus nõ eſt, nemo poteſt illius definitionem ſcire: dans exemplum Auer. dicit; verbi gratia, quia hircoceruus ex quo non eſt: impoſſibile eſt, quod enuncietur eius definitio. Definitio enim eſt rei quæ eſt, & ſimiliter ſi eſſe, & ipſum eſſe eſſet nobis ignotũ, impoſſibile eſſet, ꝙ eius definitio ſciatur, prius quàm ſciatur ipſum eſſe hęc ſunt verba Auer. notanda quidem. Cum igitur ſuperius de ſingularis exiſtẽtia determinatum fuerit, conſonum eſt modo, vt eius quid, ſeu definitionem tradamus, regulam Ariſt. ſeruantes, ac etiam ex quibus conſtat, & componitur. Et primo dicimus ex Ariſt. 7. met. 35. & ex Auer. in libro, deſtructio deſtructionum. in diſpu. 1. in ſol. 7. dubij, & 12. met. 14. ꝙ ſingulare eſt illud, quod conſtat ex

hac forma, & materia vltima, ſed eſt notandum, ꝙ hęc duo, ex quibus ſingulare componitur, ſcilicet materia, & forma 1. phyſ. 64. 65. neceſſario requiruntur ad hoc vt aliquid ſit ſingulare, & vere indiuiduum: tamen vnum eſt principale, & aliud ſecundarium: Principale principium eſt materia, teſte Auer. in libro, deſtructio deſtructionum. in diſp. 1. in ſol. 7. dubij. Secundarium principium eſt collectio proprietatum, vtpote determinata quantitas, determinata qualitas, eſſe in hoc tempore, eſſe in hoc loco, & eſſe ex hac forma, in hac materia, & hoc ſecundarium principiũ tetigit Porphyrius in cap. de ſpecie, in deſcriptione indiuidui, quando dicebat. [Indiuidua autem dicuntur huiuſmodi, quoniam ex proprietatibus conſiſtit vnumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio eadem erit,] & de hoc ſecundario principio indiuiduationis meminit Ariſt. 7. met. 35. 1. cæli. 92. 95. ex quibus ergo concludimus, ꝙ ſingulare eſt illud quod conſtat ex hac forma, & materia: verum eſt ſciendum, ꝙ cum ſingulare ipſum duas habeat partes ſcilicet materiã, & formam: per formam habet eſſe vniuerſale, & commune cum alijs indiuiduis, quoniam ipſa eſt ſubiectum vniuerſalitatis, vt ait Auer. 1. cæli 92. per quam quoque formam ipſum ſingulare habet eſſe actuale, in actu exiſtit. 2. de anima. 2. 25. & 7. met. 34. 12. met. 14. vbi Ariſt. diuidens ſubſtantiam quot modis dicatur, ſic ait; ſubſtantia dicitur tribus modis, vno modo ſicut materia, quæ ſecundum ſe quidem non eſt hoc aliquid: Alio modo dicitur ſubſtantia forma, & ſpecies ſecundum quam iam dicitur hoc aliquid. Tertio modo ex his compoſitum: clare igitur patet, ꝙ compoſitum eſt hoc aliquid in actu per formam, de ratione cuius eſt dare eſſe ipſi compoſito ſingulari indiuiduo, vt ait Ariſt. 7. met. 60. & 8. met. 5. [cauſa materiæ quęritur, hęc autem eſt forma, qua aliquid eſt] quod clarius Auer. 7. met. 37. forma enim eſt pars quæ cum fuerit, eſt res: materia vero eſt illud, quod cum fuerit, non erit res, ac 8. met. 12. & 2. poſt. 48. 8. met. 12. cauſa quæ eſt ſecundum formam quę dat quiditatem rei, per quam eſt. 1. phy. 68. 2. phy. 30. Ariſt. (ſufficiens enim erit alterum contrariorum abſentia, & præſentia facere mutationem) per materiam vero habet eſſe actuale ſecundario, vt liquet ex Auer. in libro, deſtructio deſtructionum, in diſp. 1. in ſol. 7. dubij. vbi aſſerit, ꝙ materia eſt cauſa pluralitatis, ſeu numeralitatis apud philoſophos, & cauſa conuenientiæ in multitudine numerali eſt forma, vt etiam colligitur ex 12. met. 49. ac 7. met. 28. 1. met. 40. ex quibus hoc ſequitur notandum, ꝙ ſicut ſingulare habet duplex eſſe ſcilicet eſſe vniuerſale cõmune per formam primò, & eſſe particulare ſecundariò per materiã, ſic quoq; habetur duplex cognitio de ipſo ſcilicet in vniuerſali ratione formæ, & in particulari ratione materiæ: ex quibus poteſt defendi hęc concluſio ꝙ de ſingularibus habetur ſcientia tamen in vniuerſali ratione formę, non in particulari ratione materiæ, teſte Ariſt. 7. met. 35. 53. 11. met. cap. 1. vbi aſſerit [Horum inquam (adde tu ſingularium) non eſt definitio, ſed intellectione, aut ſenſu cognoſcuntur, cùm verò habeant ab actu non eſt manifeſtum vtrum ſint aliquando, an non ſint: Tamen ſemper dicuntur, & cognoſcuntur vniuerſali ratione] & ſcias, ꝙ Ariſt. de hoc ſingulari loquitur 7. me. 35. 53. & 1. poſt. 62. quando ait [Propterea etiam ſubſtantiarum ſenſibilium ſingularium neque definitio, neque demonſtratio eſt] dans cauſam, inquit [eo ꝙ habent materiam, cuius natura talis eſt, vt eſſe, & non eſſe contingat. quarè corruptibilia sũt omnia ſingularia earũ. Si igitur demonſtratio, & definitio ſcĩetifica neceſſariorum eſt, & non contingit, ſicuti neq; ſcientia, quandoq; ſcientiã, quãdoq; ignorantiã eſſe, ſed quod tale eſt opinio eſt, ita neq; demonſtrationẽ, neq; definitionẽ, ſed opinio eſt eius quod contingit, & aliter ſe habere: patet ꝙ neq; demonſtratio, neq; definitio eorum eſt. corruptibilia nanq; non ſunt manifeſta his, qui ſcientiam habẽt, cùm a ſenſu abſceſſerint, & rationibus eiſdem in animo ſeruatis, nõ erit amplius neq; definitio, neque demonſtratio [meminit quoq; Ariſt. de hoc ſingulari 2. de anima 60. 1. phy. 49.] ſingularium ſecundum actum ſenſus eſt, ſcientia verò eſt vniuerſaliũ] & 7. met. 57. vbi inquit ſic [quare patet, ꝙ nihil vniuerſalium ſeparatim præter ſingularia eſt] ac etiam 1. poſt. 3. & 7. ethic. cap. 5. [ſingularium ſenſus prædominatur] 1. met. in prologo, cap. 1. [Cauſa verò eſt, quòd experientia ſingularium, ars autem vniuerſalium cognitio eſt. actiones autem, ac generationes omnes circa ſingulare ſunt. non enim hominem, niſi per accidens ſanat qui medetur, ſed Calliam, aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui ſic dicuntur, cui accidit hominem eſſe. Si quis itaque rationem abſque experientia teneat, & vniuerſale quidem cognoſcat, quod autem ſub eo particulare eſt ignoret, ſæpenumero errabit à ſanando. id enim magis ſanabile eſt, quod ſingulare eſt, & 1. poſt. 1. iſta verò monſtrantes vniuerſale per id quod manifeſtum eſt ſingulare [verùm etiam 6. ethic. cap. 13. ait [ex ſingularibus enim vniuerſale eſt] 1. poſt. 4. 33. & 1. periher. cap. 5. & in ante prædicamentis. cap. 3. & in cap. de ſubſtantia. [ſingulare de nullo ſubiecto dicitur] 12. met. 18. [homo nanque hominem generat, ſingularis aliquem] habitis ergo, ac inueſtigatis duobus quęſitis de ſingulari nempè ſi eſt, & quid eſt, & quibuſdam locis Ariſt. allegatis, in quibus mentio fit de tali ſingulari, oportunum modo eſt, vt quæſtionis principium aggrediamur.

IN QVO ALIORVM SCRIBVNtur opiniones. Cap. II.

Porphyrij poſitio. PORPHYRIVS in ſuo libello, cap. de genere, faciens diuiſionem prædicatorum, ſic ait [eorum enim quæ prædicantur aliæ quidem de vno dicuntur ſolo ſicut indiuidua, vt Socrates. Alia verò de pluribus quemadmodum genera, & ſpecies] hanc met ſententiam
Cõfirmatio. firmat cap. de ſpecie. dum inquit [indiuiduum autem de vno ſolo particulari] ex quibus clarè patet indiuiduum de vno ſolo. i. de ſe ipſo prædicari, & vt nonnulli exponunt prædicatur per ſe, non per accidens de ſe ipſo. poſt Porphyrium ſequitur D. Thomas in 7. met. in tex. 7. exponens verba Ariſt quæ ſunt hæc [ſubiectum autem eſt de quo cætera dicũtur, illud verò non amplius de alio] dicit, quòd per ſubiectum Ar. intelligit ſingulare ſubſtãtiæ, vt ſortes, quod ſingulare non prædicatur de alio ſubiecto per ſe, ſed nihil prohibet vt prædicetur de alio ſubiecto per accidens, ſed ſingulare ſubſtantiæ de ſe ipſo prædicatur per ſe, vt cum dicitur, ſortes eſt ſortes, in hac propoſitione ſortes prædicatur de ſorte, tanquàm de ſe ipſo per ſe, & non per accidens: luce
Corroboratio opinionis Por. & Diui Thomæ. clarius ergo videtur D. Thomam eſſe eiuſdem opinionis, quam Porphyrius inſectatur. Nos autem hanc opinionẽ corroborantes nonnullis vtemur rationibus, & prima ſit iſta. ¶ Illud quod competit alicui per definitionem ſuam per ſe competit illi 1. poſt. 30. ſed per definitionem ſingularis ſibi compe-
1. Ratio tit, quòd prædicetur, ergo per ſe prædicatur, minor probatur ex Auer. in epit. log. cap. de rebus agentibus formationem. vbi definiens ſingulare, ſic dicit; Veruntamen ſingulare eſt id, quod impoſſibilè eſt ex ſubſtantia formationis eius, ꝙ prædicetur de pluſquàm ſingulari vno. pulchra quidem ratio.
2. Ratio ¶ Amplius illa quæ ſunt per ſe de ſubiecto per ſe prædicantur. 1. poſt. 30. at ſingularia ſunt per ſe 1.
3. Ratio poſt. 33. ergo ſingularia per ſe prædicantur. ¶ Præterea illa quæ ſunt ſecundum quod ipſum per ſe prædicatur 1. poſt. 36. 37. ſed ſingularia, vt dicit Au. in epit. met. tractatu 1. cap. de eſſentia. ſunt ſecundũ quod ipſum, ergo ſingularia per ſe prædicantur.
4. Ratio ¶ Vltra illa quæ intenduntur per demonſtrationẽ, ingrediuntur demonſtrationem, ſed ſingularia 1. poſt. 33. Auer. intenduntur per demonſtrationem, ergo ſingularia ingrediuntur demonſtrationem, ſed ea quæ ingrediuntur demonſtrationem per ſe prædicantur in primo, & in ſecundo modo dicendi per ſe 1. poſt. 35. 56. Ariſt, ergo ſingularia ipſa per ſe præ-
5. Ratio dicantur. ¶ Rurſus definitio 1. poſt. 30. Ariſt. & Auer. in cap. de demon. 7. met. 11. per ſe prædicatur de ſuo definito, ſed definitio, & definitũ 7. met.
6. Ratio 40. ſunt idem, ergo idẽ per ſe prædicatur de ſe ipſo. ¶ Amplius, & validius illud quod recipit definitionem alicuius neceſſario eſt illud, vt patet in prædicam. cap. de qualitate. vbi inquit Ariſt. [Quæ enim definitionem trianguli recipiunt, & circuli omnia ſimiliter trianguli, & circuli ſunt] ſed ſingulare recipit definitionem generis, vt dicit Ariſt. in prædicam. cap. de ſubſtantia, quando dicit [& rationem quoque ſuſcipiunt primæ ſubſtãtiæ ſpecierum, & generum] ergo ſingulare eſt genus, ſed genus 1. poſt. 30. et 7. met. 11. & in cap. de demon. Auer. per ſe prædicatur, ergo ſingulare per ſe prædicatur. ¶ Præterea forma eſt innata per ſe prædicari 1. poſt. 30. quia eſt differentia, ſed ſingulare eſt 7. Ratio
forma 7. met. 23. 35. 39. Ariſt. vbi ait ſic [formã autem dico ipſum quod quid erat eſſe, & primam ſubſtantiam] ſed prima ſubſtantia eſt ſingularis, ergo ſingulare per ſe prædicatur. ¶ Amplius Ariſt. 8. Ratio
1. top. cap. 7. clare aſſerit, idem prædicari de ſe ipſo, dum inquit [vnumquodque talium ſiue idem de ſe ipſo, ſiue genus dicatur quid eſt ſignificat] quid ergo clarius pro hac opinione. ¶ Amplius et fortius 9. Ratio
Ariſt. 2. perihermenyas, in fine inquit, quòd iſta propoſitio, Bonum eſt bonum, eſt vera per ſe, ergo idem per ſe prædicatur de ſe ipſo. ¶ Præterea Ariſt. 10. Ratio
5. met. 23. inquit. [Attamen homo ſecũdum ſe eſt homo] in qua propoſitione idẽ per ſe de ſe ipſo prædicatur. ¶ Vltimo vtamur Boæti authoritate dicẽ 11. Ratio
tis, quòd nulla eſt verior propoſitio, quàm illa, in qua idem de ſe ipſo prædicatur, ex his ergo rationibus, atq; authoritatibus omni perito clarum forè relinquimus ſingulare ipſum per ſe prædicari.

IN QVO PORPHYRII POSITIO impugnatur. Cap. III.

SENTENTIA eſt Ariſt. 2. tali 34. [Non iuſtum eſt omnes increpare, ſed oportet videre cauſam dicendi] quod in libro de iuuentute, & ſenectute cap. 4. confirmans dixit [non licet abſentes inauiter accuſare] cùm igitur Porphyrium à veritate alienum perſpexerimus iuſta cauſa freti euidentiſſimis authoritatibus, ac demonſtratiuis rationibus cõtra ipſum inſurgere decreuimus, & Primo contra Porphyrium, Secundo contra D. Thomam noſtræ rationes locum habebunt. Quantum igitur Porphyrij poſitio ab Ariſt. doctrina abhorreat ex ipſius met philoſophi verbis in prædicam. cap. de ſubſtantia, perſpicuum eſt. vbi ait [a prima namq; ſubſtãtia nulla eſt prædicatio, de nullo enim ſubiecto dicitur] clariſſimè tamen 7. met. 7. in libro, de longitudine, & breuitate vitæ. c. 2. 1. phy. 62. 1. poſt. 4. & 33. in ante prædicamentis cap. 3. nec non in 1. priorum. cap. 23. reſolutè ſcripſit dicens [quòd igitur entia quædam de nullo apta nata ſunt dici manifeſtum, fermè enim ſenſibilium vnumquodque tale eſt, vt de nullo prædicetur.] ¶ Dices omnes præallegatas authoritates nil concludere contra Porphyrium, nam ipſe tenet, ꝙ ſingulare non prædicatur de alio ſubiecto, ſed bene prædicatur de ſe ipſo, ſed audias quæſo rationes, ſingulare nec de ſe ipſo prædicari Ariſt. 1. priorum cap. 1. definiens terminum, inquit 1 Ratio
[terminum autem voco, in quem reſoluitur pro- Contra
poſitio, vt in ſubiectum, & prædicatum] & nota Porphy.

ꝗ ly,

ꝙ ly, & tenetur diſiunctiuè diſiungit prædicatum
à ſubiecto, ideſt ꝙ illud, quod eſt prędicatum; non
eſt ſubiectum, vt homo eſt animal, ſi verò id quod
imaginatur Porphyrius ſcilicet quod idem prædi-
catur de ſe ipſo, vt ſortes eſt ſortes eſſet verum, tūc
idem eſſet ſubiectum, et prędicatum: quod quātum
ſit contra Ar. iam præ oculis habes, & quod peius
ſequeretur, ꝙ propoſitio fieret ex vno tantum ter-
mino, ſed hoc eſt impoſſibile: deleatur ergo opinio
2. Ratio Porphyrij. ¶ Amplius illud, quod eſt in fine abho-
minationis, & non deſeruit arti, non eſt ab arte cō
cedēdum, ſed propoſitio, in qua idem prædicatur de
ſe ipſo, eſt in fine abhominationis vt patet ex Ari.
1. priorū cap. 7. in digreſſione, de quarta figura con
tra Galenum, vbi ait. ꝙ ſi daretur quarta figura,
tunc ſequeretur, ꝙ idē prædicaretur de ſe ipſo, quod
eſt in fine abhominationis, & abſurdiſſimū: immo
4. met. com. 3. & 10. met 8. contra Auicēnam ha
bet Auer. ꝙ in illa propoſitione, in qua idem præ-
dicatur de ſe ipſo, non eſt ſubiectum, neque prædica
tum, & eſt nugatoria, ergo omni perito pro manife
ſto relinquitur, ꝙ idem non prædicatur de ſe ipſo, et
per conſequens illa propoſitio, in qua idem predi-
catur de ſe ipſo, non eſt concedenda in arte.
3. Ratio ¶ Præterea illud quod prædicatur de aliquo debet
eſſe diuerſum ab illo, ſed quando ſingulare prędica
tur de ſe ipſo, prædicatum non eſt diuerſum à ſubie
cto, vt patet, ergo ſingulare non prædicatur de ſe
ipſo: maior eſt Ariſt. 1. priorum cap. 1. vbi ait [in
toto autem eſſe alterum in altero] vbi per ly alterū
intēdit prædicatum ac etiam 1 perihermenias cap.
3. dum inquit [verbum ſemper eſt nota eorum, quæ
de altero prædicantur] verùm etiam in ante prædi-
camentis cap. 3. ait [quando alterum de altero præ
dicatur vt de ſubiecto] ex quibus omnibus locis nō
tiſſimum eſſe cenſemus prædicatum ſemper debere
eſſe diuerſum à ſubiecto, & nil prædicari de ſe ipſo.
4. Ratio ¶ Præterea illud quod extra animam ineſt alicui,
in anima de illo prædicatur, regula eſt Auer. 1. poſt.
148. & illud, quod extra animam nulli ineſt, in
anima de nullo prædicatur; ſed ſingulare extra ani
mam nulli ineſt cum ſit per ſe exiſtēs, ergo in anima
de nullo prædicatur: augendo rationem dico, ꝙ præ
dicatio ſumitur ab inhærere, & nō inhærere 4. phy.
25. ſed nihil poteſt ineſſe ſibi ipſi vt ibidem patet;
5. Ratio ergo nihil pōt prædicari de ſemetipſo. ¶ Amplius
omnis ſyllogiſmus fit ex tribus terminis neque plu
ribus, neque paucioribus 1. prior. cap. de 1. & 2. et
3. figuris, vnde arguatur ſic; ſi idem prædicaretur
de ſe ipſo, tunc ſyllogiſmus poſſet fieri ex duobus
terminis, conſequens eſt falſum, & contra Ariſt. 1.
poſt. 26. vbi inquit [dico autem vno, quoniam ne-
que termino vno, neq; poſitione vna poſita, ex dua
bus autem poſitionibus primis, & minimis con-
tingit ſi quidem & ſyllogizare] ſequitur ergo idem
6. Ratio non poſſe prædicari de ſe ipſo. ¶ Rurſus & fortiſſi-
mè decretum eſt Ariſt. 9. met. 17. tale [quod igi-
tur eſt poſſibile eſſe, contingit eſſe, & non eſſe] ideſt
illud quod habet potentiam eſſe poteſt eſſe, et quod
non poſſibile eſt eſſe non contingit eſſe, nam ſicut ſe
habet affirmatio ad affirmationem, ſic ſe habet ne-
gatio ad negationem 1. poſt. 99. ſed ſingulare non
habet potentiam vt per ſe poſſit prædicari de ſe ip-
ſo, ergo nunquam actu per ſe prædicabitur de ſe ip-
ſo, minor probatur ex 4. phy. 25. nihil habet po-
tētiam ineſſe ſibi ipſi, ergo actu nihil ineſt ſibi ipſi,
neque prædicatur de ſe ipſo, ſed ſingulare nō habet
potentiam inhærendi ſibi ipſi, ergo nūquàm in actu
prædicabitur de ſe ipſo: hæc quidem eſt demonſtra
tio. ¶ Amplius ſi eſſet verum ꝙ idem prædicatur 7. Ratio
de ſe ipſo, tunc ſequeretur, ꝙ propoſitio vniuerſalis
facta ab Ariſt. in ante prædicam. cap. 2. non habē-
ret locum, dicit enim Ariſt ibi [ſimpliciter autem
quæ ſunt indiuidua, & vnum numero de ſubiecto
nullo dicuntur] conſequētia probatur, nam 2. prio
rum cap. de inſtantia, propoſitio particularis affir-
matiua deſtruit vniuerſalem negatiuā vt hæc pro-
poſitio, aliquis homo eſt albus, deſtruit, & falſifi-
cat hanc nullus homo eſt albus, ſi ſingulare prædi-
caretur de ſe ipſo tunc prędicaretur de aliquo, &
ſic eſſet falſa propoſitio Ariſt. quòd indiuiduum de
nullo prædicaretur, nam ſi diceremus, ſortes eſt ſor
tes, ly ſortes, qui prædicatur de ſorte, prædicatur de
aliquo, nam ſortes eſt aliquis homo, quod de facto
eſt contra Ariſt. 1. poſt. 4.33. & in ante prædica-
mentis cap. 2. patet ergo ſingulare nullo pacto præ
dicari. ¶ Præterea omne prædicatum aut eſt natu- 8. Ratio
rale, aut artificiale 1. poſt. 147. ſed ſingulare non
eſt prædicatum naturale, nec artificiale, ergo non
eſt prædicatum: minor probatur, & primo, quòd
non ſit prædicatum artificiale, ſupponendo vnum,
quod ſcientia, & ars eſt de rebus æternis, & neceſ-
ſarijs 1. poſt. 62. 6. ethi cap. 4. 7. met. 53. et 1. met.
in prologo [ars eſt vniuerſalium cognitio, experiē-
tia vero ſingularium] ac Porphyrius in cap. de ſpe
cie, ſingularia eſſe ab arte expellenda, quia ſunt in
finita, ſed ſingularia ſunt corruptibilia 7. met. 35.
& 53. ergo ſingularia non ſunt prædicata artificia
lia, & quòd non ſint prædicata naturalia probatur
tali pacto ſupponendo primo vnū ex Auer. 1. poſt.
148. in epit. log. c. de dem. & 7. met. 59. quòd præ
dicatum naturale eſt triplex. Primū quando cau- Quot
ſa prædicatur de cauſato, vt homo eſt rationalis. modis ℥
Secundum quando accidens prædicatur de ſubiecto predica
vt homo eſt riſibilis. Tertium quando ſuperius præ tio natu
dicatur de inferiori, vt homo eſt animal, ſed ſingu ralis.
lare nullum iſtorum eſt, non enim eſt cauſa, quia eſt
cauſatum, & compoſitum ex cauſis, & principijs
1. phy. 64. nec eſt accidens, quia eſt ſubſtantia vt in
cap de ſubſtantia patet, & cum ſit ſubſtantia non
poteſt eſſe accidēs 1. phy. 27 & 30. [quod verè eſt
nulli accidit] ideſt quod eſt ſubſtantia non eſt acci-
dens: neque eſt ſuperius; quia ſuperius ſonat idem
quòd genus, ſed eſt quid præter hæc, ergo ſingulare
per ſufficientem prædicatorum numerationem non
eſt prędicatum artificiale, nec prædicatum natura-
le de ſe ipſo. ¶ Amplius, & primo ſuppono vnum,
quòd prædicatum & ſubiectum poſſunt bifariam
conſi-

conſiderari aut in ordine ad copulam, aut inter ſe, ſi conſiderantur in ordine ad copulam ſic habent rationem materiæ, & copula habet rationem formæ veluti clariſſime ſumitur ex 1. perihermenias. nomen pro materia ſumitur in propoſitione, verbum vero pro forma, ſi comparentur inter ſe tunc ſubiectum ſignificat materiā, prædicatum vero dicit formam: quo ſtante arguatur ſic, ſi idem prædicaretur de ſe ipſo, tunc idem eſſet ſibi ipſi materia, & forma: quod eſt impoſsibile teſte Ar. 2. phy. 70. vbi refert, ꝙ tres cauſæ plerunq; veniunt in vnam vt forma, efficiens, finis: materia verò nunquam, quia materia arguit potentiam, forma vero arguit actum 3. phy. 12. & 2 de anima 2. 25. & 7. met. 34. & 9. met. 16. & 12. met. cap. 2. ideo non poſſunt coincidere, cùm actus & potentia ſint differentiæ entis valde oppoſitæ 1. de anima. 6. & 12. met. 26. Auer. Ex his ergo relinquitur, quòd ſicut materia quæ eſt potentia non coincidit cum forma, quæ eſt actus: ſic idem nō poteſt prædicari de ſe ipſo, quia ſequeretur vnum & idem eſſe actum, & potentiam, quod falſum. ¶ Rurſus & primo ſuppono vnum, quod (vt x. Ratio *abunde dictum eſt ſupra) vnum & idem non poteſt eſſe materia, & forma, ſubiectum, & prædicatum, continens, & contentum, terminans, & terminatum, agens, & patiens, nobile, & ignobil: vnde arguatur ſi ſingulare prædicaretur de ſe ipſo, tunc ſequeretur quòd vnum & idem eſſet forma, & materia, ſubiectum, & prædicatum, continens, & contentum, terminans, & terminatum, agens, & patiens, nobile, & ignobile reſpectu ſui ipſius: quod eſt falſum & contra Ar. vt probabimus, ergo pro manifeſto relinquitur falſam eſſe Porphyrij poſitionem, ſingulare de ſeipſo prædicari, conſequentia neganda probatur ſic, Ar. n. 4. cæli. 35. loquens de continente, & contento, dicitq́ quòd id quod continet eſt forma, quòd autem continetur eſt materia, modo ſi idem prædicaretur de ſe ipſo, tunc idē eſſet continens, & contentū, forma & materia, quia ſubiectum dicit materiam, prædicatum dicit formam 3. cæli. 74. [honorabilius eſt cōtinens, & finis, quàm finitum: hoc enim materia eſt, illud autem ſubſtantiæ conſtitutionis eſt] intelligendo formam [quod enim determinatum eſt, medium eſt: quod vero determinat, finis eſt] ex quibus ſumitur, quòd terminans ſit nobilius terminato, modo ſi idem prædicaretur de ſe ipſo, tunc idem eſſet nobilius ſe ipſo, vt terminans, & terminatum: terminans vt forma, terminatum vt materia: tum etiam 2. phy. 4. Auer. forma nobilior materia, reſpectus enim continentis eſt reſpectus formæ ad materiam 4. cæli. 23. Ad euitanda ergo tot inconuenientia concludimus idem de ſe ipſo minime prædicari poſſe. ¶ Amplius locus eſt Ar. concludens cō-* 11. Ratio *tra Porph. 7. me. 59. ait [quærere igitur propter qd ipſum eſt ipſum nihil eſt, quærere vt propter quid homo eſt homo, aut muſicus eſt muſicus, nihil eſt quærere] quoniam quęſitum propter quid dicit cauſam, quæ cauſa eſt cauſa prædicati inhærentis ſubiecto, & ly propter quid, cadit ſuper prædicatum vt homo eſt riſibilis, quæritur modo propter quid homo eſt riſibilis, non quæritur propter quid homo eſt homo, quæritur ergo & ſcientificè quanda prædicatum eſt diuerſum a ſubiecto, & non idem de ſe ipſo: ex quibus demonſtro contra Porphyriū. Tunc aliquod prædicatur de aliquo vera prædicatione, quando ſuper illud cadit propter quid, vt propter quid luna deficit? Sed quando idem prædicatur de ſe ipſo, ſuper prædicatum, non cadit propter quid, vt dicendo propter quid ſortes, eſt ſortes, ergo idem* 12. Rat. *vera prædicatione non poteſt prædicari de ſe ipſo. ¶ Præterea locus eſt euidentiſſimus 2. top. cap. 19. vbi Ar. abſurdum reputans idem prædicari de ſe ipſo, ait [ſi quis gaudere ei quod eſt lætari ponet accidere idem ſibi ipſi dicet accidere] & quoniam id longe admodum contra Porphyrium digreſſi fuimus, eiuſq; poſitionem confutauimus validiſſimis quidem rationibus, atque authoritatibus Ar. nullam gloſam patientibus, verū quoniam aliqui Porphyrium defendere nituntur, idcirco operæ pretiū fore duximus videre quæ nam ſit defenſio hæc.*

IN QVO PORPHYRII POSITIO defenditur. Cap. IIII.

THOMAS de Vio Caietanus Porphyrij poſitionis defenſor hac vtitur prędicationis diſtinctione, quòd prædicatio eſt duplex, Vna quæ dicitur naturalis, vt quando idem prædicatur de ſe ipſo, vt homo eſt homo, quę ideo dicitur naturalis, quia nil ignotum notificat, non manifeſtat, non verificat aliquod ꝓdicatū ignotū, & diuerſum a ſubiecto ſed affirmat, & verificat idem de eodē vt a. eſt a. b. eſt b. i. ſortes eſt ſortes. Alia vero eſt prædicatio artificialis, & eſt illa ꝙ notificat aliquid ignotū prædicatū diuerſū a ſubiecto, vt homo eſt animal, qua diſtinctione ſtante Caietanus defendens Porphyrium, ait: ꝙ quando dicit Porphyrius, ꝙ ſingulare prædicatur de ſe ipſo, vel de vno ſolo, intelligit de prędicatione naturali, non artificiali, & ſic pro decreto firmat Porphyrium minime aberrare dum dicit ſingulare de vno ſolo prędicari. Sed hæc Caietani defenſio (pace eius dixerim) Porphyrium potius offendit: quā defendit: nam oſtēdit Porphyrium ignorare quæ ſunt prædicata naturalia. Non enim prædicatio einſdem de ſe ipſo eſt naturalis vt probatur ex Au. 1. poſt. 148. in epit. log. cap de dem. ac 7. me. 59. & ſi quis groſſipedalis nollet Auerroi fidem adhibere contra Porphyrium in promptu eſt dilucidiſſimus Themiſtius 1. poſt. cap. 35. 38. ſimiliter Ioannes Grāmaticus 1. phy. 29 qui aſſerunt, quod prædicatio eſt duplex, quædam naturalis, quædam vero innaturalis, declarantes quęnam ſit prædicatio naturalis, dicunt quòd eſt illa quando accidens prædicatur de ſubiecto, vt homo eſt muſicus, & quando cauſa prædicatur de cauſato vt homo eſt rationalis, prædicatio autem innaturalis quādo ſubis·

Defenſio Caietani pro Porphyrio.

Impugnatur defenſio Caietani

Duplex ꝓdicatio

biectum,ſeu ſubſtantia prędicatur de accidente vt muſicum eſt homo,vel quando cauſatum prędicatur de cauſa vt rationale eſt homo, quæ omnia dilucidiſſimus Themiſtius declarat 1.poſt.cap.35.dum inquit ſic;tum vero maximè accidentaria prædicatio eſt,quoties peruerſo naturæ ordine ſubſtantia de accidente affertur, vt cum de albo animal dicitur,nam oratio hæc,album eſt animal,differt ab ea quę eſt,animal eſt album,& in cap.38.ait; prædicationes, quæ naturalem terminis regionem mutant,ne prædicationum quidem appellatione cenſemus,ex quibus Auer.& Themiſtij verbis erigatur modo contra Caietanum ratio demonſtratiua, illud eſt prædicatum naturale, & tunc quando accidens prædicatur de ſubiecto,vel cauſa de cauſato ſed idem non eſt accidens ſibi ipſi,quia quod eſt accidens nequit eſſe ſubſtantia,& econtra 1.phy.27. [quod vere eſt nulli accidit] neque idem eſt cauſa ſui ipſius,quia idem eſſet prius ſe ipſo, quod eſt contra Ar. in libro, de motu animalium. vbi inquit cap.3.[ipſum autem ſe ipſo prius nullum eſt] ergo omni perito in regulis cognoſcendi prædicata naturalia in doctrina Auer. & Græcorum relinquitur contra Caietanum male Porphyrium defendentem,quòd idem de ſe ipſo non eſt prędicatum naturale.

IN QVO DIVI THOMAE POSItio impugnatur. Cap. V.

MIRVM profecto eſt quomodo beatus Thomas Doctor angelicus ſublimis ingenij,ac in omni ſcientiarum genere peritiſſimus in hanc poſitionem inciderit, cum dicat; idem per ſe prædicari de ſe ipſo: hæc quidem poſitio apud illos, qui veras callent perſeitates,non videtur poſſe defendi, & probatur nonnullis rationibus iudicio meo demonſtratiuis,
1.Ratio cõtra D. Thomã. quarum prima ſit iſta. ¶ Omnia prædicata per ſe vel ſunt in primo modo dicendi per ſe,vel in ſecundo modo dicendi per ſe,quæ ſunt in primo modo sũt genera,& generum definitiones, propriæ differentiæ,& conuertibiles definitiones: quæ vero ſunt in ſecundo modo ſunt propria & eſſentialia accidentia 1.poſt.30.31.35.44.& 152.7.met.11.in epit. log.cap.de dem.2.de anima.67.& non dantur alia prædicata per ſe,ſed ſingulare nullum iſtorum eſt, non genus, non differentia, non definitio,vt clarè patet,ergo ſingulare non eſt prædicatum per ſe, neque debet numerari inter prædicata per ſe, nec de alio,nec de ſe ipſo,& hæc ratio videtur abſque dubio demonſtrare. ¶ Amplius locus quidem eſt de-
2.Ratio. monſtratiuus 1.top.cap.3.vbi Ariſt.numerãs prędicata quæ prædicantur per ſe, & quę prædicantur per accidens,ait [neceſſe eſt enim omne quod prædicatur de aliquo,aut conuerſim de re prædicari,aut non,& ſi conuerſim prædicatur,terminus id eſt definitio erit,vel proprium. Si autem non conuerſim prędicatur de re,aut ex eis,quæ in definitione ſubiecti dicuntur,eſt aut non,& ſi ex ijs, quæ in definitione dicuntur, aut genus, aut differentia erit, eo quòd definitio ex genere,& differentijs eſt. Si vero ex ijs non eſt, quæ in definitione ponuntur, palam eſt, quoniã accidens erit: nam accidens dicebatur, quod neq; terminus,neque genus,neq; propriũ, i eſt autem rei] quibus ſtantibus pro maiori fiat minor demonſtratiua,ſed ſingulare nullum iſtorum eſt vt ipſimet Thomiſtæ iudicare poſſunt, ergo ſingulare non eſt prædicatum per ſe: & ſic non poterit nec de alio ſubiecto, nec de ſeipſo per ſe prædicari.

¶ Præterea illa, quæ ſunt in tertio modo dicendi per ſe,non ſunt in primo,nec in ſecundo modo dicendi per ſe,quoniam quæ ſunt in tertio modo exiſtũt per ſe, & non prædicantur per ſe 1.poſt.33. ea quæ ſunt in primo, & in ſecundo modis prædicantur per ſe 1.poſt.30.31.44.152.ſed ſingularia 1.poſt. 33.ſunt in tertio modo quæ exiſtunt per ſe, & non prædicantur per ſe, ergo ſingularia non prædicãtur per ſe nec de alio nec de ſe ipſis: vnde reiteretur ratio,illud,quod per ſe exiſtit in tertio modo,non per ſe prædicatur,ſed ſingulare per ſe exiſtit vt Ar. ait in cap.de ſubſtantia, ergo ſingulare non per ſe prædicatur. 3.Ratio.
¶ Amplius illud quod eſt prædicatum per accidens non eſt, neque poteſt eſſe prædicatum per ſe 1.poſt.32.ſed ſingulare 1.priorum.cap.23.& 1.poſt.32.eſt prædicatum per accidens; vt patet in illis verbis quando dicit Ar. [quæcunque neutro modo inſunt accidentia ſunt] ergo clarum eſſe fatemur ſingulare nec de alio, nec de ſeipſo per ſe prędicari poſſe,verum ſi prędicatur,non prædicatur niſi per accidens. 4.Ratio.
¶ Rurſus id quod per ſe ſubijcitur nullo modo eſt per ſe prædicatum, quoniam regula eſt famoſa, quod id quod eſt per ſe tale ſemper eſt tale eoque magis, quoniam ſubiectum dicit materiam,prædicatum vero formam,ſed ſingulare propriè,principaliter, & maximè eſt ſubiectum vt teſtis eſt Ar.in prædicam.cap.de ſubſtantia,ergo omnibus qui veram profitentur Logicam pro comperto relinquatur ſingulare ipſum nec de alio, nec de ſe ipſo per ſe prædicari poſſe. Hæc ergo ſunt argumẽta,quibus viſum ſuit nobis beati Doctoris poſitionem confutare:quorum quodlibet demonſtrare omni perito notum eſſe cenſemus. Multæ quoque aliorum eſſent recenſendæ opiniones, quas ſilentio prætermittere voluimus,regulam Ar.ſeruantes 1.top. cap.9. vbi ſcriptum reliquit [nam de quouis contraria opinionibus proferente curam habere ſtultum eſt,non oportet autem omne problema,nec omnem poſitionem conſiderare] ac 8.top.cap.vlt.[non eſt autem cum omni diſputandum, neque contra quemlibet exercitandum] idcirco voluimus tantũ Porphyrij, & diui Thomæ opiniones recitare, ipſuſque confutare,cùm ſint viri famoſiſſimi, non ſtudio cõtradicendi,abſit,ſed nos tanquã veritatis defenſores iuxta Ar.præceptum 1.ethi.cap.7. Amicus ſortes, amicus Plato,pium eſt veritatem in honore præferre, & ne miremini ſi contra D. Thomã argumentari audemus,quoniam pro defenſione veritatis 5.Ratio

ritatis non ſolum aliena, ſed propria etiam impugnare oportet, quibus verbis aſtipulans Auer. in libro, deſtructio. in prologo dicit [cum in cunctis rebus ab intellectuali virtute deſiderandis naturaliter, & præcipuè carior, & dulcior, ac dilectior ſit veritas, tenemur igitur eam ſemper attentè, & feruidè ut efficacius meditari poteſt obtinere, ſuoſque hoſtes eam prauiter litigantes ſe vere percipi, ac ei obijcientes cum varijs diſpendijs ipſam ſeducere, pertractanteſque viſceribus ardentibus interimere conantur, itaque veritas vbique inter omnia obſtacula vigeat, & præualeat] nõ mirum eſt igitur ſi Porphyrij, & Diui Thomæ opiniones reiecimus veritatis amore conſtricti.

IN QVO VERA ARISTOTELIS narratur opinio. Cap. VI.

ARiſtotelis vera, ac irrefrangibilis concluſio hæc eſt, ꝙ ſingulare ſubſtantia, nec de ſe ipſo, nec de alio ſubiecto per ſe prædicatur, verum vt talis opinio clarius, & diſtinctius ab omnibus percipiatur, cũ à nullo vnquam fuſius ſit pertractata: iſthunc procedemus modum. Primum quædam adnotabuntur fundamenta. Secundo concluſiones aliquas ex illis fundamentis, ac præſuppoſitis exceptas fulciemus: quibus præhabitis nedum omnibus clariſſima Ariſt. patebit opinio, verum etiam facillimè ſoluentur in ſequenti capite argumenta in oppoſitum ducta. ¶ Circa præſuppoſita ꝙ quæ polliciti ſumus, hoc primum ſtatuimus, & Peripateticum, ꝙ prædicatio in Ariſt. doctrina 1. priorum, cap. 23 1. poſt. 32. dicitur duobus modis, vno modo prædicatio vniuerſalis, ſeu per ſe, alio modo ſecundum accidens, quę prędicatio per ſe denotat ſubſtantiã ſubiecti, veluti genus, & ſpecies, quę ambo 1. top. cap. 4. & in cap. de ſubſtantia. 1. poſt. 30. & Porphyrius in ſuo libello prædicantur in quid eſſentialiter, & omnino nos intelligimus per prædicationem vniuerſalem omne illud prædicatum, quod dicit ſubiecti ſubſtantiam, ſiue ſit commune, vt genus, ſiue ſit proprium, & cõuertibile, vt propria

Dubit.

differentia, & definitio 1. poſt. 30. 36. 37. ¶ Sed dices, id quod dictum eſt ſcilicet ꝙ prædicatio vniuerſalis intelligitur illa, & eſt illa quæ denotat ſubſtantiam ſubiecti, non videtur omnino eſſe tutum, & ab errore alienum, quod probatur ſic, illa quę inter ſe differunt nõ ſunt eadem, ſed prædicatio vniuerſalis differt a prædicatione denotante ſubſtantiam ſubiecti, ergo prædicatio vniuerſalis non eſt eadem cum prædicatione denotante ſubſtantiam ſubiecti, minor probatur ſic, illa dicitur prædicatio vniuerſalis 1. poſt. 36. quæ habet tres conditiones nempe de omni, per ſe, & primum: ſed prædicatio, quæ denotat ſubſtantiam ſubiecti, non habet tres conditiones, ſed duas ſcilicet de omni, & per ſe, vt in hac propoſitione, homo eſt animal, ly animal, quod eſt genus, denotat ſubſtantiam hominis ſubiecti 1. poſt 30. & 6. top. cap. 3. ergo prædicatio vniuerſalis non eſt eadem cum prædicatione per ſe, ſed valde differunt. ¶ Soluitur, verum pro ſolutione

Solutio. Per ſe dicitur duobus modis.

eſt ſciendum, quòd ly per ſe, dicitur duobus modis, communiter, & propriè, vel ſecundum prius, & ſecundum poſterius, vt ait Auer. in quæſt. 2. & 3. poſt. a ſimili, ſicut per ſe dicitur bifariam ſcilicet communiter, & propriè, ſic prædicatio denotans ſubſtantiam ſubiecti reperitur duobus modis ſcilicet communiter, & propriè, communiter dico, vt quando genus, vel eius definitio, vel eius differentia prędicatur de ſpecie, & non conuertitur: propriè vero ideſt conuertibiliter, vt ſunt propria definitio, ſpecifica differentia quando prædicantur de ſuis proprijs ſubiectis, & hęc prædicatio dicitur vniuerſalis teſte Auer. in 3. quęſ. poſt. quo ſtante dicendum, quod prædicatio denotans ſubſtantiam ſubiecti propriè, dicta illa eſt prædicatio vniuerſalis non autem prædicatio denotans ſubſtantiam ſubiecti communiter dicta, & hæc non eſt eadem cum vniuerſali, & ſic ſoluitur dubitatio: prædicatio autem ſecundum accidens reperitur tribus modis, primo modo eſt illa, quæ eſt per ſe, & non eſt prima, ideſt conuertibilis, vt quando genus, vel generis differentia, ac generis definitiones prædicantur de ſpecie quæ ſunt prædicata per ſe 1. poſt. 30. & nõ ſunt conuertibilia teſte Auer. 1. poſt. 36. 37. 41. & 2. poſt. 94 in epit. log. cap. de demon. & in 4. quæſ. poſt. ſic aſſerente, prædicata, quæ non ſunt prima, neque propria 1. conuertibilia, ſubintrant id, quod eſt per accidens, dico quòd ſunt prędicata per accidens non vt diſtinguuntur contra per ſe, ſed ſunt per accidens in quantum non ſunt propria, prima, & conuertibilia.

Quotmodis dicitur prædicatio per accidens.

2. Prædicatio per accidẽs.

¶ Secundo modo dicitur per accidens prædicatio illa, quæ eſt de omni, & non per ſe, vt omnis cygnus eſt albus, hæc propoſitio eſt de omni tantum, & non per ſe: eſt de omni, quia ly albus prædicatur de omni cygno, & de omni indiuiduo contento ſub cygno, tanquàm ſub ſpecie, nõ eſt per ſe, quoniam ly, albus, non ſumitur in definitione cygni, neque cygnus accipitur in definitione albi Auer. teſte. 1. poſt. 95. ¶ Tertio modo reperitur illa prędicatio per accidens, quæ neque eſt de omni, neque per ſe, vt omnis homo eſt albus, ly albus, non prædicatur de omni homine, quia ęthiops eſt homo, & tamen non eſt albus, neq; albus accipitur in definitione hominis, quia non dicit ſubſtantiam hominis, & ſic non eſt per ſe, quæ ergo triplici prædicatione per accidens ſic ſtante prima vocatur abſolute per accidens, ſecunda valde per accidens, tertia maxime per accidens, verum vt hæc diſtinctio vndique vera videatur, confirmatur ratione, ſicut rectum apud naturam, & per ſe eſt vno modo, per accidens vero & obliquum pluribus modis: ita apud artem eſt vnum quæſitum per ſe ſcibile, & rectum: per accidens vero & obliquum pluribus modis: ars enim 2. phy. 22. & 4. meteor. 27. imitatur naturam. ¶ Aliud pręſuppoſitum eſt quòd prædicatio eſt duplex, quædam naturalis, quædam innaturalis,

3. Prædicatio per accidẽs.

turalis vt teſtis eſt Au. 1. poſt. 4. 148. 149. et 151. 1. priorũ cap 23. 7. met. 59. in epit. log. cap de dem. nec non Graeci omnes vt Philoponus 1 phy. ſuper tex. 19. Ammonius in cap de ſubſtantia, Themiſtius 1. poſt. cap. 35 38. Latini vero multis vtũtur diſtinctionibus, quae in vnam coincidere videntur, dicẽtes, quod alia eſt praedicatio vniuocè dicta, alia aequiuocè, vel quaedam eſt ſecundum rem, quaedam ſecundum vocem, vel quaedam directa, & quaedam indirecta, vel quaedam eſt de modo loquendi conſueto, quaedam de modo loquendi inconſueto, vel quaedam eſt ordinaria, quaedam inordinaria, verũ nota, *Quid ſit praedicatio ordinaria, et inordinaria.* quòd praedicatio ordinaria eſt illa in qua ordo naturae ſeruatur, ideſt cùm ſubiectum ſe habet per modũ per ſe ſtantis, & praedicatum per modum inhaerentis veluti Au. 1. priorum in digreſſione, de quarta figura cõtra Galenum. inordinaria vero praedicatio eſt oppoſito modo, ideſt quoties praedicatum nõ ſe tenet ex parte inhaerẽtis, & ſubiectum per modum per ſe ſtantis vt cum de accidente ſubiectum enuntiatur, vel de ſuperiori inferius. Amplius nota, quòd praedicatio naturalis ſuperius aſſignata in dictis Au. in epit. log. cap de dem. reperitur tribus modis, vno modo quãdo cauſa praedicatur de cauſato, vt homo eſt rationalis, ſecundo modo quando accidens praedicatur de ſubiecto, vt homo eſt riſibilis, tertio modo quando ſuperius praedicatur de inferiori, vel maius de minori, vt homo eſt animal, & ſicut naturalis dicitur tribus modis ſic etiã innaturalis praedicatio dicitur tribus modis, faciendo totum oppoſitum, vt quãdo cauſatum praedicatur de cauſa, vt rationale eſt homo, & quando ſubiectum praedicatur de accidente, vt riſibile eſt homo, & quando inferius de ſuperiori vt animal eſt homo, vnde oritur regula quot modis dicitur praedicatio naturalis, tot modis innaturalis.

Dub. ¶ Sed dices dictũ eſt ſupra, quòd praedicatio naturalis in dictis Au. eſt triplex nempe cauſa de cauſato, accidẽs de ſubiecto ſuperius de inferiori, haec diſtinctio videtur falſo eſſe attribuia Au. quoniã nunquam reperitur Au. dixiſſe triplicem eſſe praedicationem naturalem, ſed tantũ nominauit duplicem .ſ. quando cauſa de cauſato, & accidens de ſubiecto, de tertia vero nunquã meminit.

Solu. ¶ Pulcra quidem nimis dubitatio, pulcriorem tamen nota eandẽ de Lector ſoluẽdi modum. Primo tamen ſupponendo duo, primum quòd cauſa eſt duplex vna dicitur communis, & vniuerſalis, vt eſt genus 2. phy. 28. & 1. met. 17. & in cap. de definitionibus Au. alia vero propria, & particularis, ut propria ſpecifica differẽtia, ſeu forma ut ibidẽ patet. Secundum praeſuppoſitum eſt, quòd genus teſte Au. 2. poſt. 94. eſt cauſa ſpeciei. Quibus ſuppoſitis ſic ſtantibus dicendum, quòd quando dixit Au. (cauſa de cauſato) intellexit tam cauſam propriã, quae eſt rationalitas, quàm cauſã communẽ, et vniuerſalem: quae eſt genus, in quibus paucis verbis inclusit duplicem praedicationem .ſ. cauſam propriam quae eſt forma, & cauſam cõmunem quae eſt genus, quod genus ſignificat ſuperius de inferiori, vnde ex ponãtur verba Au hoc modo ſcilicet, cauſa de cauſato, ideſt cauſa propria quae eſt forma, & cauſa cõmunis, quae eſt genus ſuperius quãdo praedicatur de cauſato: ideſt de inferiori, ideſt de ſpecie, tũc eſt praedicatio naturalis, & ordinaria dicta a latinis qua ergo expoſitione Au. ſtante dubitatio non tenet cõtra diſtinctionem.

Notandum. ¶ Sed nota vtile quodam, quod eſt tale, idem eſt dicere praedicationem innaturalẽ, & praedicationem ſecundum accidens, ſeu per accidens. ſed ſcias quòd differt praedicatũ, quod eſt accidens, & praedicatũ ſecundum accidens, nam praedicatum, quod eſt accidens, eſt praedicatũ naturale vt homo eſt albus, ſed praedicatum, quod eſt ſecũdum accidens, ſeu per accidens eſt praedicatum, quod nõ eſt accidens, neque naturale, vt quando praedicatur ſubſtantia dicendo, rationale eſt homo, homo eſt ſortes, & ſortes eſt ſortes, vt Ariſt. 1. priorum cap. 23 & Auer. verum eſt ſciendum, quòd accidens quando praedicatur de ſubiecto dicitur praedicatum quod eſt accidens, & ſecundum accidens, & per accidens, quia non eſt praedicatum per ſe loquendo de accidente communi, veluti Ariſt. 1. poſt. 52. 53. 54. tamen dicitur praedicatum naturale.

Solutio. ¶ Sed dices, quando ſunt duo accidentia quorum vnum praedicatur de altero, vt riſibile eſt diſciplinabile, illud accidẽs, quod praedicatur, quod praedicatum eſt, per ſe, & naturale, vel per accidens, & innaturale?

Dub. ¶ Reſpondet Auer. 1. poſt. 44. dicens, mutuã proprietatem praedicatio eſt praedicatio per accidens, & ammonius cap. de ſubſtantia, ideſt neque per ſe, neque naturalis, nam tunc eſt praedicatio naturalis, quando accidens praedicatur de ſubſtantia vt de ſubiecto, non autem de accidente, quia vnum accidens non eſt ſubiectum alterius, ſed vtrũque ineſt tertio: ideſt ſubiecto 5. met. 13. & 15. Ariſt.

Solutio. ¶ Sed nota, quòd quando accidens praedicatur de accidente, vt riſibile eſt diſciplinabile, ly diſciplinabile, poteſt eſſe praedicatum naturale, ſumendo ly riſibile, non vt accidens eſt, ſed vt eſt ſubiectum, in quo reponitur riſibilitas, quod eſt homo, adeoquod dicere, riſibile eſt diſciplinabile, idem eſſet dicere, quod homo eſt diſciplinabilis, et ſic quãdo diſciplinabile praedicatur de homine praedicatur naturaliter: vnde habeas quomodo accidens de accidente praedicatur naturaliter, & non naturaliter, quod docet Auer. 1. poſt. 148. 149. in Epit. de prim. praed. ponantur ergo in forma diſtinctionis omnia quae diximus, ly riſibile, conſideratur biſariam vno modo vt accidens eſt, alio modo vt eſt ſubiectum accidẽtis. quando ſumitur vt eſt accidens, tunc haec propoſitio, riſibile eſt diſciplinabile, eſt per accidens, & innaturalis, ſed quãdo ſumitur pro ſubiecto accidentis, .ſ. riſibilitatis quod eſt hõ, tunc eſt naturalis

Dubit. ¶ Dices ergo ſequitur ex dictis, quòd accidens nõ praedicatur naturaliter de accidente, hoc videtur falſum, nam albedo eſt color, in hac ꝓpoſitione color praedicatur de albedine, & tã color, quàm albedo ſunt accidentia, ergo accidens praedicatur de accidente, immò naturali-

turaliter, & per ſe: quoniam color eſt genus ad albedinem tanquam ad ſpeciē, quod genus tanquam ſuperius naturaliter prædicatur de ſpecie, & per ſe 1. poſt. 30. ergo accidens de accidente non ſolum naturaliter, ſed per ſe prædicatur de accidente.

Solutio.

¶ Soluitur, ſed eſt ſciendum, quod albedo bifariam venit cõſideranda, vno modo vt accidens eſt, alio modo vt ſpecies, & vt natura minus vniuerſalis, ſimiliter color cõſideratur duobus modis vno modo vt accidens eſt, alio modo vt genus eſt, & natura magis vniuerſalis, qua præhabita diſtinctione dico, quod quando color prædicatur de albedine, non prædicatur vt eſt accidens de accidente, ſed prædicatur vt eſt genus, & natura magis vniuerſalis de albedine tanquam de ſpecie, & de natura minus vniuerſali, & ſic prædicatur per ſe & naturaliter, & in quid dicens ſubſtantiam ſuę ſpeciei, & hoc modo venit

Quõ intelligitur Porphyr.

intelligendus Porphyrius definiens genus, quando dicit, genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid, genus dico id eſt natura magis vniuerſalis prædicatur de pluribus ſpeciebus, id eſt de naturis minus vniuerſalibus in eo quod qd, id eſt dicens eſſentiam, & ſubſtantiam ipſarum. Regredientes ergo vnde diſceſſimus, & reaſſumentes diſtinctionem dicimus, quod prędicatio eſt duplex quędam naturalis, vera, ordinaria, ſecundũ rem, vniuocè, vniuerſalis, denotans ſubſtantiam ſubiecti, per ſe, quædã vero innaturalis, falſa, inordinaria, ſecundũ vocem, ęquiuoce, ſecundum partē, non denotans ſubſtantiã ſubiecti, per accidens quibus ſtãtibus, dicimus, quæſiti veritatē determinantes in doctrina Ar. ſingulare ſubſtantiæ nõ prędicari, immo impoſſibile eſt prędicari de ſe ipſo, vel de alio ſubiecto prędicatione naturali, vera, ordinaria ſecũdum rem, vniuocè, vniuerſali denotante ſubſtantiã ſubiecti, & per ſe, ſed prędicatione innaturali, falſa, inordinaria, ſecundũ vocem, æquiuoce, ſecundum partem, non denotante ſubſtantiã ſubiecti, & per accidens, & pręter regulã artis, inartificialiter aliquando, non ſemper, præter naturalē conſuetudinem, in minori parte, & in paucioribus: quæ prædicatio nõ deſeruit arti, nec demõſtrationi, ſed ab arte, & a demonſtratione reiicitur tanquàm inutilis, nõ ſcientifica, immo non perſcrutatur in arte talis per accidens prædicatio iuxta præceptũ Ar. 6. met. 5. & 6. ac Au. 1. poſt. 44. 5. phy. 6. id quod eſt per accidē non perſcrutatur in arte.

Confirmatio.

¶ Quod ratione cõfirmatur, illud, quod eſt in paucioribus, ſeu in minori parte nõ eſt de omni, immo exiſtimatur nõ eſſe 2. phy 53. & quod nõ eſt de oĩ, non eſt per ſe 1. poſt. 29. & id, quod nõ eſt per ſe, eſt per accidens 1. poſt. 32. Ar. 2. poſt. 94. Au. quod eſt per accidens nõ perſcrutatur 1. poſt. 44. Au. eſt inartificiale ab arte, & ſcietia, & omnino a demonſtratione reiicitur 1. poſt. 41. 44. 2. poſt. 94. ſequitur ergo quòd ſi ſingulare prædicatur, non prædicatur, niſi prædicatione per accidens, quæ neq; arti, neq; ſcientiæ, neque demõſtrationi deſeruit. Hinc parcant nobis volētes ſingulare per ſe de ſe ipſo prædicari, ex rationibus enim factis videtur apertiſſime quantũ ſint alieni à via veritatis: non autem Ar. dogmata inſectantes aſſerimus ſingulare ſiue de ſe ipſo, ſiue de pluribus per accidens prædicari, & adeo per accidens, quod nullo modo poteſt reduci ad per ſe.

Dub.

¶ Sed quæres et & non extra propoſitum quãdo Ar. 1. poſt. 4. dicit [quęcunq; ſingularia ſunt, & non de ſubiecto] quæ ſingularia intendit, ſingularia ſubſtantiæ tantum, an ſingularia accidentis tantũ, an vtraque ſimul?

Sol.

¶ Soluit Auer. in com. & dicit, quòd Ariſt. intendit vtraque, ac ipſemet Ariſt. in ante prędic. cap. 2. aſſerens [ſimpliciter autem quę ſunt indiuidua, & vnum numero de ſubiecto nulla dicuntur.]

Dub.

¶ Sed dices, quod hæc expoſitio non poteſt ſtare, quoniam ſingulare accidentis prædicatur de ſubiecto immo naturaliter, vt eorum eſt hoc nigrum.

Solu.

¶ Pro ſolutione huius dubitationis, quod duplex eſt prędicatio, una quæ naturalis appellatur, alia quæ vniuerſalis nominatur 1 poſt. 36. 37. Ar quæ prædicatio vniuerſalis eſt illa, quæ denotat ſubſtantiam ſubiecti ſiue ſit cõmunis, vt genus, ſiue ſit propria, vt differentia, & diffinitio: per prædicatũ ergo vniuerſale non intelligo aliud niſi prædicatum ſubſtantiale dicens ſubſtantiam ſubiecti 1 poſt. 30. vnde exponatur textus Ariſt. Quæcunque iam ſingularia ſunt id eſt tã ſubſtantię, quam ſingularia accidentis non de ſubiecto dicuntur, id eſt prædicantur dico prædicatione uniuerſali denotante ſubſtantiam ſubiecti, licet ſingularia accidentis prædicentur prædicatione naturali, tamen non prædicantur prædicatione vniuerſali, & ſic patet dubitationis ſolutio, & reſtat firma concluſio, quod neque ſingularia ſubſtãtiæ, neque accidentis prædicantur de ſubiecto: ex quibus ſumas concluſionem ſingularia ſubſtantiæ non prædicari, neque ſingularia accidentis prædicatione naturali vniuerſali, ſed ſi ſingularia accidentis prædicantur, non niſi prædicatione naturali tantum.

Cõcluſio defendẽda.

Dubita.

¶ Sed quidam quæres, quæ eſt regula cognoſcendi quando aliquod prædicatum naturaliter prædicatur de ſubiecto?

Regula cognoſcendi quando aliquod naturali ter prędicatur de aliquo. Solutio.

¶ Pulchro quidem quæſito pulchriori ſolutione ſatisfaciendum, pro cuius intelligentia eſt notandum, quòd aſſerit Ar. 4. phy. cap. de ineſſe, quòd prædicatio ſumitur ab inhærere, & non inhærere, quo ſtante hæc ſit tibi ſeruanda methodus ad cognoſcendum quando aliquod naturaliter prædicatur, & quando non, quãdo eſt aliquod apud naturam, quod extra animam ineſt alicui ſubiecto, vel eſt aptum natum ineſſe, tunc in anima illud naturaliter prædicatur de illo, v. g. albedo eſt apud naturam extra animam ineſt cygno, ergo in anima prædicatur de cygno, dicendo, cygnus eſt albus, quando autem eſt aliquod apud naturam extra animam quod non ineſt alicui ſubiecto, vel non eſt aptum natum ineſſe alicui, tunc illud in anima non naturaliter prædicatur, v. g. ſingulare ſubſtantiæ, vt Franciſcus qui eſt apud naturam extra animam nulli ineſt, & nullo indiget vt exiſtat, ſed exiſtit per ſe, ergo in anima de nullo prædicatur, & ideo dixit Ariſt. in

Regula cognoſcendi quando aliquod nõ prędicatur naturalċter de aliquo.

cap.

cap. de ſubſtantia[à prima ſubſtantia nulla eſt prædicatio] quia à prima ſubſtantia nulla ſumitur inhærentia. habes ergo ſtudioſe Lector qua nam eſt methodus cognoſcendi prædicata naturalia, quę ut tradit Ariſt. 1. top. cap. 2. numero videntur eſſe quatuor dicens, omne prædicatum naturale quod etiam eſt artificiale vel eſt vniuerſalius ſubiecto de quo prædicatur, vel conuertitur, ſi eſt vniuerſalius, vel ponitur in definitione ſubiecti, & prædicatur in quid, vel non ponitur in definitione ſubiecti, & prædicatur in quale: ſi primo modo eſt genus, nam omne p̄dicabile in quid de ſubiecto vt de ſpecie,] & non conuertitur eſt genus, ſi ſecundo modo, eſt accidens commune, ſi vero conuertitur cum ſubiecto, vel ponitur in definitione ſubiecti de quo prædicatur, & prædicatur in quid, vel non ponitur in definitione ſubiecti, & prædicatur in quale: ſi primo modo eſt definitio, quæ prædicatur in quid, ſi ſecundo modo eſt accidens proprium, & ſic quatuor ſunt prædicata naturalia completa per artem, vt genus, definitio, accidens proprium, & accidens commune, & ſi dantur alia duo prædicata ſcilicet differentia, & deſcriptio, vt ibidem Auer. includuntur in iſtis quatuor, differentia includitur in genere, & deſcriptio in proprio, & ſic habetur regula, & numerus prædicatorum naturalium artificialium, quam ſi memoriæ mandans nunquàm errabis: regredientes ergo vnde diſceſſimus, quæſiti veritas, vt magis eluceſcat, ratione confirmatur multiplici, et prima ſit iſta.

Confirmatio ueritatis.

1. Ratio. ¶ Id quod eſt propriè tale per ſe eſt tale, quod per ſe eſt tale, natura ſua eſt tale, & quod natura eſt tale non aliter tale, ſed ſemper eſt tale, & vbicunque reperitur, & quomodocunque, & qualitercunque, & ad quodcunque comparatur eſt tale, regula hæc eſt ſenſata verbi gratia, ignis propriè eſt calidus natura ſua ſemper calidus, non nunc ſic, nunc non, vbicunque reperitur, & ad quodcunque comparatur ſemper eſt calidus iuxta decretum Ariſt. 8. phy. 15. vbi aſſerit [id quod natura eſt ſimpliciter ſe habere oportet, & non aliquando quidem ſic, aliquando verò aliter] ſed ſingulare ſubſtantia propriè ſubijcitur, & eſt ſubiectū, vt in cap. de ſub. Ariſt. ergo per ſe eſt ſubiectum, ergo natura ſua eſt ſubiectū, ſi natura, ergo non aliter, ergo ſemper ſubiectum per ſe nunquam prædicatum per ſe, ſed ſi prædicatur, nō niſi per accidens: hęc ratio demonſtrat.

2. Ratio. ¶ Amplius Ariſt. 1. priorum cap. 23. diuidens ea, quæ ſunt, ait; ꝙ quædam ſunt tantùm ſubiecta, & de nullo prædicata, vt ſingularia. Alia verò ſunt, quæ tantū prædicata, & non ſubiecta, vt vniuerſaliſſima decem rerum genera. Alia verò, quæ & ſubiecta, & prædicata eſſe poſſunt, vt inter media, ex quibus nulli dubium eſſe cenſeo ſingularia ipſa nullo pacto per ſe prædicari de ſe ipſis; ſed ſolum per ſe ſubiecta, & nō per ſe prædicata, nec de alio, nec de ſe ipſis.

3. Ratio. ¶ Præterea idem non poteſt eſſe prius, & poſterius ſe ipſo, vt Ar. contra antiquos 1. poſt. 22. neq; idem poteſt eſſe ſuperius, & inferius principiū, & principiatū ſubiectum, & prædicatum, & idem non eſt diuerſū a ſeipſo, modo ſi ſingulare prędicaretur per ſe de ſe ipſo, ergo idem per ſe eſſet prius, & poſterius ſe ipſo ſuperius, & inferius, principiū, & principiatum, ſubiectū, & prædicatum: immo idē per ſe eſſet diuerſum à ſe ipſo, cum de ratione prædicati ſit, ꝙ debet eſſe diuerſum à ſubiecto, vt contra Porphyrium demonſtrauimus, quod profecto nemo ſani capitis cōcederet, non ergo ſingulare per ſe de ſe ipſo prædicari eſt dicendum.

4. Ratio. ¶ Rurſus & præſuppono vnum, ꝙ per ſe ſubſiſtere, & per ſe prædicari ſunt duo valde adinuicem diuerſa, quo ſtante id quod per ſe exiſtit nullo modo per ſe prædicatur nec de alio, nec de ſeipſo, ſed ſingulare per ſe exiſtit, & propriè exiſtit 1. poſt. 33. ergo ſingulare per ſe de ſe ipſo non prædicatur.

5. Ratio. ¶ Amplius Ariſt. 7. met. 59. aſſerit hæc verba [quærere igitur propter quid ipſum eſt ipſum, nihil eſt quærere] ac ſi diceret, ſi aliquis quæreret propter quid homo eſt homo, nihil quærit, nam qui quærit debet quærere aliquid, id eſt prædicatū diuerſum à ſubiecto, vt riſibile de homine, vel cauſā p̄dicati, vt propter quid homo eſt riſibilis, & non propter quid homo eſt homo, vel propter quid ipſum eſt ipſum, quia ſic nihil quærit, ex quibus erigatur argumentum inſolubile, ſicuti ſe habet in petitione, ſic & verè ſe habet in prædicatione, ideſt ſicut qui quęrit idē de eodem, ſic ſe habet qui prædicat idem de eodem, ſed qui quærit idē de eodē nihil quærit, ſic ergo ſequitur demonſtratiuè ꝙ qui prædicat idem de eodē nihil prædicat, & nulla eſt illa prędicatio: non ergo ſingulare per ſe p̄dicatur de ſe ipſo, ſed ſi prædicatur, non niſi per accidens; nota hanc rationem, quia concludit contra pſeudologicos.

6. Ratio. ¶ Amplius id quod competit alicui per definitionem ſuā cōpetit illi per ſe 1. poſt. 30. ſed ſingulari cōpetit per definitionē ſuam, ꝙ de ſubiecto non p̄dicetur, ſed ꝙ per ſe exiſtat, & per ſe ſit ſubiectum, & de nullo prædicatū, nec de ſe, nec de alio à ſe, vt patet ex Ar. cap. de ſub. 1. poſt. 4. clarius tamē 33. ergo ſingulare eſt per ſe ſubiectum per ſe ſubijcitur, & nullo modo, nec de alio, nec de ſe ipſo prædicatur.

7. Ratio. ¶ Præterea & ſubtiliſſimè, verum pro rationis intelligentia eſt ſciendum, ꝙ Ar. in 1. cæli. 14. notatum reliquit, ꝙ omnis motus aut eſt ſecundum naturam, aut pręter naturam, quorum motuū vnus competit alicui corpori ſimplici ſecundū naturam, alter præter naturā, & per accidens, vt motus ſurſum competit igni per ſe, & ſecundū naturā 2. phy. 5. motus verò deorſum competit igni pręter naturā, & per accidens. Alio exēplo manifeſtatur v. g. motus deorſum competit lapidi per ſe, & ſecūdum naturā, motus verò ſurſum ſibi cōpetit per accidens, & præter naturā veluti Ariſt. ait 2. ethic. cap. 1. à pari arguatur, ſingulare eſt vnum corpus numero, & hæc duo ſibi competunt ſcilicet ſubijci, & p̄dicari, ideſt eſſe ſubiectū, & eſſe prædicatū: oportet vnū iſtorum ſibi competere per ſe, & ſecundum naturam, aliud verò per accidens, & præter naturam, ſed ſubijci, & eſſe ſubiectum ei competit

peti per ſe, & ſecundum naturam, vt patet per ſuã definitionem, ergo per accidens ſibi competit prædicari, & præter naturam, ſiue de ſe ipſo, ſiue de alio: pulchra quidẽ ratio. ¶ Amplius & ſuppono vnũ

8. Ratio. q. quando ſunt duo oppoſita, quorum alterũ competit alicui ſubiecto per ſe, neceſſe eſt vt aliud competat illi per accidens v.g. calefacere, & frigefacere ſunt duo oppoſita quorum vnum per ſe competit igni. ſ. calefacere, alterum verò per accidens, vt frigefacere ſed ſubiici, & prædicari ſunt duo oppoſita. quoniam ſubiectum dicit potentiam, prædicari dicit formam, & actum, qui actus, & potentia ſunt differentiæ entis valde oppoſita. 1. de anima. 6. Auer. 12 met. 8. 26 8. met. 15. 7 met. 31. 5. phy. 9. & 5. met. 14. ſed ſubiici, & eſſe ſubiectum per ſe competit ſingulari (vt manifeſtum eſt ſupra) ergo per accidens ſibi competit prædicari, ſiue de ſe ipſo ſiue de alio, & quid clarius contra aduerſarios.

9. Ratio. ¶ Rurſus Ariſt 5. met. cap. de eodẽ 1. perihermenias. cap. 5. & 1. poſt. 90. declarans, ex qua parte propoſitionis ponitur ſignum vniuerſale, vt ly omnis, an ex parte ſubiecti, vel prædicati, reſpondens ait, nõ ex parte prædicati. ſed ex parte ſubiecti, quoniam ſequeretur propoſitio falſa, atque incongrua, vt homo eſt omne animal, & cum ſubiectum ſit duplex alterum commune, vt homo, alterum propriũ & ſingulare, vt Callias, nota, q ſignum vniuerſale non ponitur cum ſubiecto ſingulari, nam non valet dicere, omnis Callias eſt homo. ſed ponitur cũ ſubiecto communi, vt omnis homo eſt animal, aſſignat cauſam Ariſt. quia ſubiectum ſingulare non prædicatur, verùm ſi prædicatur, non niſi per accidens, et non per ſe: veluti Ariſt. 1. priorum notatum reliquit cap. 23 quando ſic dicit [omnium, itaq; entium: hæc quidem talia ſunt, vt de nullo verè vniuerſaliter prædicentur, vt Cleon, & Callias] nõ verè, ſed falsò, non vniuerſaliter, & per ſe, ſed particulariter, & per accidens tam de ſe ipſo quàm de alio, vt ſe ipſum declarare videtur paulo inferius, vbi dicit [quod igitur entium quædam de nullo apta nata ſunt dici manifeſtum: fermè enim ſenſibilium vnumquodque tale eſt, vt de nullo. i. nec de ſe ipſo,

Dubit. nec de alio prædicetur, niſi vt accidens] quid ergo clarius? ¶ Sed quis dubitabit, nam dictum eſt, q ſignum vniuerſale non ponitur cum ſubiecto ſingulari, huius oppoſitum legitur in Ar. 1. cæli. 98. vbi dicit, q omnis mundus eſt ex propria materia; & tamen mundus non eſt in pluribus, vt ibidem patet. i. non prædicatur de pluribus, quia eſt vnum ſin-

Solutio. gulare. ¶ Soluitur, & eſt ſententia Alex. ibidem referente Simplicio, q in indiuiduis, in quibus ſaluatur tota natura ſpeciei, ſicut eſt in ſempiternis, poteſt poni ſignum vniuerſaliter diſtribuens, ſicut eſt de mundo, & ſole: ſecus eſt autem de indiuiduis rerum generabilium, In talibus enim tota natura perpetuari non poteſt, niſi per ſucceſſionem: ſollicitudo enim diuina propter hoc miſerta eſt dedit talibus virtutem, vt poſſint perpetuari in ſpecie 2. de anima 34. Au. 1. cæli. 98. 2. de gen. & cor. 59. qua ergo ſolutione habita ruit dubitatio. ¶ Sed quæret

adhuc aliquis, an ſignum vniuerſale poſſit addi ex parte prædicati? ¶ Soluitur quod, aliquando ſic, aliquando non, ad litur quotiens prædicatum ſua natura remouetur a ſubiecto, tunc ſubiecto poteſt addi ſignum vniuerſale affirmatiuum, prædicato ſignum vniuerſale negatiuum, vt omnis homo eſt nullus equus, quotiens vero prædicatum natura ſua competit ſubiecto, tunc ſibi ſignum vniuerſale affirmatiuum addi non poteſt, ſi idem ſignũ addatur ſubiecto, quia hæc eſt falſa, omnis homo eſt omne animal, ſimiliter quando prædicatum non habet, niſi vnum ſuppoſitum, poteſt addi ſignum vniuerſale affirmatiuum cum prędicato, vt Sol eſt omnis Sol. ſi prædicatum dici poteſt, Luna eſt omnis Luna, & ſimiliter de alijs indiuiduis ſempiternis, habes ergo candide lector quomodo, & quando, & vtrum ſignum vniuerſaliter ſignificatiuum ponitur cum ſubiecto, & cum prædicato, multa eſſem dicturus circa hæc, ſed breuitati ſtudens, & in proprio loco dicturus ommicto, ſatis ergo de quæſiti veritate, & de dubitationis ſolutione.

Dubit. Solutio.

IN QVO RATIONES ſoluuntue. Cap. VII.

AVER. 1. phy. 71. nec non 4. phy. 31. ſermonis veri, ac demonſtratiui priuilegium eſſe non ſolum veritatem dicere, ſed omnes quæſtiones accidentes in re ſoluere, notatum reliquit, & quoniam circa quęſiti veritatem nonnulla in oppoſitum fuere recitata argumentationes operæ pretium eſſe exiſtimamus, vt veritas magis elucefcat, ipſas ſoluere, quibus quidem ſolutis, nulli dubium erit ſingulare, neque de ſe ipſo, neque de alio per ſe, & naturaliter prædicari, ſed tantum per accidens. ¶ Primæ ratio Sol. ad 1. ui reſpondetur, declarando locum Auer. dicebat. n. Auer. ſingulare eſſe illud, quod impoſſibile ex ſubſtantia formationis eius &c. Dicas verum eſſe, q competit ſingulari per eius definitionem, & per ſe quod prædicetur de vno ſolo, tamen quando prædicatur de vno ſolo, non prædicatur per ſe, ſed per accidens. ¶ Vel dicas, q in rerum natura reperiuntur Sol. alia. quædam ſingularia, quorum non reperitur, niſi vnum in quo ſaluatur tota natura ſpeciei, vt vnũ cælum 1. cæli. 98 vna terra, vnus mundus, vna Luna, & ſic intelligitur Auer. quando dicit, q ſingulare non prædicatur de pluribus, ſed de vno ſolo, vtraque expoſitio poteſt ſtare. ¶ Sed dices Ariſt. 1. Dubit. poſt. 38. ait, q prædicatum vniuerſale poteſt demonſtrari de ſubiecto ſingulari, æterno, vt de Sole, & reliquis, vnde fiat ratio talis, omnis demonſtratio cõſtat ex vniuerſalibus ſubiectis, & prædicatis 1. poſt. 62. Ar. & Auer. in epit. log. cap. de demon. ſed prædicatum vniuerſale demonſtratur de ſubiecto ſingulari, ergo ſignum eſt, q illud ſingulare, de quo demonſtratur prædicatum vniuerſale, ſit ſubiectũ vniuerſale, aliter demonſtratio nõ fieret ex vniuerſalibus,

ſalibus, ſi ſingulare eſt vniuerſale, ergo ſingulare prædicatur de pluribus, iuxta vniuerſalis definitionem 1. periher. cap. 5. ſolutio ergo ſuperius aſſignata videtur falſa, dicens ꝙ ſingularium æternorum non reperitur niſi vnum, & quod peius ſequitur, ꝙ ſingulare cum ſit vniuerſale, prædicatur, non ſolũ

Solutio. de pluribus, ſed per ſe, & non per accidens. ¶ Soluitur, & nota, ꝙ quando Ariſt. aſſerit, ꝙ prædicatũ vniuerſale demonſtratur de ſingulari, ipſum ſingulare ſumitur bifariam, vno modo ſingulare, vt ſingulare, vt habet naturam ſignatam particularem, alio modo, vt habet in ſe naturam vniuerſalem, vnde dicas, ꝙ cum demonſtratur prædicatum vniuerſale de ſingulari non inquantum ſingulare eſt, ſed inquantum habet in ſe naturã vniuerſalẽ, de qua natura vniuerſali exiſtente in illo ſingulari demõſtratur prędicatũ vniuerſale, quod innuit Au. 1. poſt. 40. his verbis intendit oſtendere, ꝙ demonſtratio de talibus indiuiduis non inſtituatur de indiuiduo, ſed de natura, quę eſt in hoc indiuiduo, quod quidẽ Ariſt. confirmans 7. met. 55. ſic retulit [nec de indiuiduis ſempiternis, vt indiuidua ſunt eſſe definitionem: veluti eſt Sol, & Luna; neque ſcientia per de-

Dubit. mon. haberi poteſt] quid clarius. ¶ Sed iterũ dubitabis dicens, poteſt ne prædicatum vniuerſale de-

Solutio. monſtrari de ſubiecto ſingulari corruptibili. ¶ Pro ſolutione eſt ſciendum, ꝙ ſingulare corruptibile bifariam conſideratur. Vno modo, vt ſingulare eſt, et ſub ratione particulari, vt dicit mihi indiuiduum ſignificatum loco, & tempore hic, & nunc, vt Callias. Alio modo ſub ratione vniuerſali, non vt Callias, ſed vt homo eſt, quo ſtante dicendum, ꝙ de ſingulari poteſt demonſtrari prædicatum vniuerſale non ſub ratione ſingulari, ſed ſub ratione vniuerſali, vt riſibile poteſt demonſtrari de ſorte non vt ſortes eſt, ſed vt homo eſt, quam ſolutionem Ar. reliquit 11. met. cap. 1. 7. met. 35. 53. & Auer. 2. poſt. 94. & 1 poſt. 167. vnde potes defendere, ſingulare de pluribus prędicari.

Sol. ad 2. rationẽ principalem. ¶ Ad ſecundam rationem, quando dicitur; illa, quæ ſunt per ſe, de ſubiecto per ſe, & naturaliter prædicãtur, hæc maior limitatur hoc modo, illa, quæ ſunt per ſe in primo, & ſecundo modo dicendi, per ſe, prædicantur per ſe, & naturaliter, modo ſingularia ſunt per ſe, ideſt exiſtunt per ſe, non prædicãtur per ſe teſte Ar. 1. poſt. 33. quod exiſtere per ſe differt à prędicari per ſe, hinc tertius modus dicendi per ſe, in quo reponuntur ſingularia exiſtentia per ſe, differt a primo, & ſecundo modis, in quibus reponuntur ea, quæ prædicantur per ſe. ¶ Soluitur

Sol. ad 3. tertia ratio gloſſando maiorem, quando dicitur; illa, quæ ſunt ſecundum ꝙ ipſum prædicãtur vniuerſaliter, primo, & per ſe, dicas ꝙ intelligitur; ſic illa, quæ ſunt ſecundum ꝙ ipſum in primo, & ſecundo modis dicendi per ſe, vt definitio, & differentia, & eſſentialia accidentia, quæ omnia ſunt prædicata per ſe, & primò, & vniuerſalia: modo ſingularia ſunt ſecundum ꝙ ipſum, tamen non prædicãtur, ſed exiſtunt ſecũdum ꝙ ipſum, & ſic nõ tenet ratio.

¶ Soluitur quarta ratio negando maiorem, quãdo dicitur; illa, quæ intenduntur per demon. ingrediuntur demon. quoniam & ſi ſingularia intendantur per demon. tamen non ingrediuntur ipſam, quia in tantum ſingularia intenduntur per demon. in quantũ ſunt ſubiecta ipſius vniuerſalis, quod vniuerſale ingreditur demon. teſte Auer. 1. phy. 5. & 1. poſt. 134. vbi aſſerit, vniuerſale eſt principium ſcientiæ demonſtratiuæ. ſed ſingulare non eſt principiũ ſcientiæ demonſtratiuæ, ſed eſt principium acquiſitionis ipſius vniuerſalis, quod eſt principium ſcientiæ demon. intelligitur ergo, quod ſingulare intẽditur per demon. vt eſt ſubiectum primum ipſius vniuerſalis, quod vniuerſale ingreditur demon. non autẽ, vt eſt quid actu ingrediens demon. neq; ſyllogiſmum. Sol. ad 4.

¶ Soluitur quinta ratio quando dicitur, ꝙ definitio, & definitum ſunt idem. Pro ſolutione notandũ ꝙ idem 1. top. cap. de eodẽ, ac 5. met. & in epit. me. tractatu 1. cap. de eodem, ſumitur multis modis, & Primo modo idem genere, vt homo, & equus in animali, Alio modo idem ſpecie, vt plato, & Socrates in humanitate. Vnde dicebat Porphyrius in c. de ſpecie, participatione ſpeciei, plures homines sũt vnus homo, Alio modo idem numero, vt Callias, Alio modo idem ratione, vt Franciſcus, & Marius, qui conueniunt in definitione, Alio modo idẽ ſubiecto, vt color, odor, & ſapor in pomo, hæc tria ſunt eadem ſubiecto, quia reponuntur in eodem ſubiecto, vt in pomo: Alio modo idem accidente, vt camphora, cignus, lac ſunt idem in albedine, Alio modo idem ſecundum prædicationẽ; quibus ſic ſtantibus, dicas, ꝙ definitio, & definitum non ſunt idẽ numero, quia tunc ſequeretur argumentum, ſed ſunt idem ſubiecto 1. phy. 5. Auer. vel ſunt idẽ ſecundũ prædicationem 7. met. 40. Auer. & cum ſint idem ſecundum prædicationem definitio per ſe, & naturaliter prædicatur de diffinitio, vt homo eſt animal rationale. Sol. ad 5.

¶ Soluitur ſexta ratio limitando maiorẽ, quando dicitur; id, quod recipit definitionem alicuius, eſt illud, addendo hanc conditionem ſ primo & per ſe: modo ſingulare, licet recipiat definitionẽ generis, non per hoc eſt genus, quia non recipit illam primò, & per ſe, & ſic ſequitur, ꝙ cum non ſit genus, neq; per ſe, neq; naturaliter prædicatur, ſed per accidens, & innaturaliter. Sol. ad 6.

¶ Soluitur ſeptima ratio negando minorem, & ad eius probationem dicas, ꝙ ſubſtantia prima eſt duplex, quædam ſimplex, quædam compoſita, quando dicit Ariſt. ꝙ forma eſt ſubſtantia prima, intelligitur, ꝙ eſt ſubſtantia prima ſimplex, non compoſita ex materia, & forma, veluti eſt ſingulare ipſum, vt Callias, & ſic dubitatio non concludit. Sol. ad 7. Rõnem.

¶ Soluitur octaua ratio eadem ſolutione qua fuit ſoluta quinta ratio in ordine Sol. ad 8. ¶ Soluitur nona ratio, & nota, ꝙ quando ait Ariſt. ꝙ hæc propoſitio, bonum eſt bonum, eſt vera, per ſe, ly per ſe, ſumitur dupliciter, vno modo per ſe, ideſt ſecundum ſe, ideſt natura ſua, alio modo per ſe, ideſt quando prędicatum ponitur in definitione ſubiecti, vel e contra, dicas ergo, ꝙ hæc propo Sol. ad 9.

ſitio

ſitio non eſt per ſe ſecundo modo, ſed eſt per ſe pri-
Alia ſol. mo modo, & ſic ruit dubitatio. ¶ Vel aliter, & ſub
tilius, verum nota, ꝙ in hac propoſitione, bonum
eſt bonum, ly bonum, quod eſt ſubiectum, intelligi-
tur hoc modo, ideſt res in qua eſt bonitas eſt bona,
ſicuti Auer. 1. poſt. 149. in epiſt. de prim. præd. vbi
dixit, album eſt lignũ, exponit ibi Auer. per ly al-
bum. i. res in qua adeſt albedo, & ſic ly, bonũ, quod
eſt ſubiectum, accipitur pro re, & pro ſubſtantia,
& ly bonum, quod prædicatur, ſumitur pro accidẽ
te, & ſic hæc propoſitio habet prædicatum, quod
eſt accidens, quod prædicatur de ſubiecto, ut de ſub
Replica. ſtantia. ¶ Sed replicabis & ſubtiliſſime quidem, di
cens, ſi album, quod eſt prędicatum eſt accidens, &
album quod eſt ſubiectum eſt ſubſtantia, ergo ſeque
retur, ꝙ accidens commune per ſe prædicaretur de
ſubiecto, quod eſt falſiſſimum, & contra Ariſt. 1.
poſt. 52. nam dicit ſupra Ariſt. ꝙ hæc propoſitio,
Solutio. bonum eſt bonum, eſt vera per ſe. ¶ Nota quaſo
ſubtilis lector ſolutionis ſubtilitatem, pro qua de-
bes ſcire, ꝙ ly per ſe, apud Auer. legitur duobus mo
dis, vno modo, quando prædicatum ſumitur in defi
nitione ſubiecti, vel ecõtra 1. poſt. 30. 31. 35. 44.
351. alio modo per ſe, ſeu eſſentialiter ideſt natura-
liter teſte Auer. 1. poſt. 149. 151. dicas ergo, ꝙ hęc
propoſitio, & qualibet alia, bonum eſt bonum, ho
mo eſt ambulans eſt per ſe, tamen nõ per ſe, vt prę-
dicatum accipiatur in definitione ſubiecti, vel econ
Pulchra tra, ſed eſt per ſe, ideſt naturaliter. Vnde ſubtilis po
cõcluſio ſterioriſta defendas, hanc concluſionem, omnia ac-
defenden cidentia, tam eſſentialia, quàm accidentalia, pro-
da, & no pria, & communia per ſe, & per accidens ſint quę-
ta hæc. cunque accidentia, omnia dico prędicantur per ſe
eſſentialiter de ſubiecto, intelligendo per ſe, & eſ-
ſentialiter, ideſt naturaliter, ſecunda concluſio de-
fendenda eſt talis, accidentia communia de ſubie-
Secunda cto nullo pacto eſſentialiter, & per ſe prædicantur,
cõcluſio dico nõ prędicantur per ſe, eſſentialiter, ideſt pro-
defenden priè, & conuertibiliter, & hæc pauci, quos Deus
da. amat Iuppiter, animaduertunt.

Sol. ad x. ¶ Rationi 10. reſpondetur ſicut fuit reſponſum
Rõnem. ad nonam in ordine, ideo illuc recurre, ſi placet.
Sol. ad 11. ¶ Ad 11. quæ conſiſtit in authoritate Boethi,
Rõnem. quæ eſt talis, nulla verior propoſitio, quàm illa in
qua idem prædicatur de ſe ipſo, vt Viuolus eſt Viuo
lus, eſt dicendum veluti nonnulli exponunt, ꝙ ly
prædicatur, ſumitur pro enuntiatur potius dicens
enuntiationem, quàm prædicationem, vt dicendo
nulla verior propoſitio, quàm illa in qua idem præ
Alia Sol. dicatur, ideſt enuntiatur de ſe ipſo. ¶ Vel aliter di-
cendum, ꝙ penes aliud attenditur veritas propoſi-
tionis, & penes aliud naturalitas prædicationis,
nam Ariſt. in cap. de ſub. aſſerit, ꝙ ab eo, ꝙ res eſt,
vel non eſt, redditur oratio vera, aut falſa. vnde di-
cimus, ꝙ veritas propoſitionis affirmatiuæ atten-
ditur penes identitatem prædicati ad ſubiectum, et
quia vera, & maxima identitas eſt eiuſdem ad ſe
ipſum, propter hoc dixit Boethus, ꝙ veriſſima eſt
propoſitio, in qua idem de ſe ipſo prædicatur, tamẽ
c.

iſta prædicatio non eſt naturalis, quia idem reſpe-
ctu ſui met non poteſt habere ſecundum naturam
reſpectum materiæ ad formam & recepti, & rece-
ptibilis, quia iſta ſunt primo diuerſa ſecundum na-
turam, & in fine remotionis, ideo vult Au. 1. prio
rum cap. 7. ꝙ ſit in fine abhominationis, quãdo idẽ
de ſe ipſo prædicatur, & ideo Ariſt. animaduertẽs
ad hoc, dixit in cap. de ſub. ꝙ à prima ſubſtantia
nulla eſt prædicatio ſcilicet per ſe, & naturalis, v-
trum autem indirectè, & per accidens contingat,
vt aliquo modo prædicari poſſit, hoc eſt, quod non
curat ars, neque ſcientia, quia iſta ſunt extranea à
prima ſcientiæ intentione 1. priorum cap. de inuen
tione medij, ſic ſingulare per accidens prædicatur
ſolum, quibus ergo ſtantibus reſolutè dicimus, ꝙ
aliud eſt dicere propoſitionem veram eſſe, & aliud
eſt dicere propoſitionem habere prædicationem na
turalem, vnde quando dicitur ſortes eſt ſortes, hæc Dubit.
propoſitio eſt vera, tamen non eſt naturalis. ¶ Sed
licet quæ dicta ſunt ſint vera, adhuc tamẽ dices ex
Ar. 5. met. 23. vbi aſſerit, ꝙ hæc propoſitio. ſ. homo
eſt homo ſecundum ſe, vnde fiat ratio, id quod præ-
dicatur ſecundum ſe de ſubiecto illud per ſe prædi-
catur de illo, & naturaliter, at homo idem prædica
tur de homine eodem ſecundum ſe, ergo idem de eo-
dem per ſe, & naturaliter prædicatur, ergo ſolutio Solutio.
ſuperius aſsignata non valet. ¶ Soluitur ſicut dixi
mus in alijs, ꝙ aliud eſt dicere, homo ſecundum ſe
eſt homo, & aliud eſt dicere homo per ſe eſt homo,
nulli dubium eſt, ꝙ homo ſecundum ſe, ideſt natura
ſua eſt homo, ſed non per ſe, in primo modo, vel in
ſecundo modo dicendi per ſe, qui modi continent
prædicata per ſe, quæ prædicata omnia ſunt diuerſa
a ſubiecto, hinc non valet opinio, quo aſſerit, ꝙ quã
do idem prędicatur de ſe ipſo, eſt prædicatum in pri
mo modo dicendi per ſe, vnde potius talis propoſi-
tio, in qua idem prædicatur de ſe ipſo, eſt identica,
quàm per ſe in primo modo. ¶ Contra ſolutionem
arguatur ſic, dictum fuit ſupra, ꝙ hæc propoſitio, Replica.
homo eſt homo, non eſt per ſe, & naturaliter, ſed eſt
natura ſua talis, in hac ſolutione videris affirmare
id quod negas, nam ſi dicis, ꝙ non eſt naturaliter,
ſed eſt natura ſua talis, ſed idem eſt dicere, id quod
eſt naturaliter, & natura ſua, vt ſenſus ipſe dictat,
ergo ſolutio eſt nulla, & argumentum ſtat in ſuo
vigore. ¶ Soluitur negando, ꝙ idem eſt dicere, ali- Solutio.
quod natura ſua eſſe aliquod, vt homo natura ſua
eſt homo. & aliquod naturaliter ꝑdicari de aliquo,
.i. ꝙ prædicatũ naturaliter de ſubiecto non eſt idẽ de
ſe ipſo, ſed eſt quid diuerſum a ſubiecto, vt homo eſt
riſibilis, ex Ariſt. in ante prædicam. c. 3. 1. periher.
c. de verbo. 1. priorũ c. 1. ſed id, quod natura ſua eſt
tale, nõ eſt diuerſũ a ſubiecto, ut homo eſt homo, et
ſic argumentũ non tenet. ¶ Altius perſcrutãtes di- Sol. pro-
camus alio, & meliori modo ad authoritatẽ Boe-
thi, verũ pro intelligẽtia nota, ꝙ Ar. 6. top. in quar
to loco ſuperfluitatis ponit differentiã inter dici,
& prædicari, in illis verbis, quãdo dicit, non eſt au
tẽ bis dicere idẽ nomen, aliquid abſurdũ, ſed frequẽ
ter de

ter de aliquo idem prædicari] per quæ verba vult Ariſt. ꝙ non inconuenit in definitione idem nomẽ bis dicere, ſed abſurdum eſt idem nomen bis prædicare de aliquo, ex quo differt dici, a prædicari, quia dici poteſt aliquod de ſe, & de omni includente ſe; homo enim dicitur de homine, quia eſt vera hæc propoſitio, homo eſt homo, non tamen poteſt idem de ſe ipſo prædicari; quoniam prædicatum eſt eſſe prædicatum, prædicatum autem omne aut genus, aut accidens, aut proprium, aut definitio teſte Ar. 1. top. cap. 3 ſi igitur, idem poſſet de ſe ipſo prædicari ſequeretur, ꝙ idem ſibi ipſi eſſet accidens, aut genus, aut proprium, aut definitio, quare differt dici à prędicari, ſicut genus à ſpecie, quoniã omne quod prædicatur dicitur, & non econtra, quibus ergo ſtantibus, dicimus, quòd quando ait Boethus, nulla verior propoſitio, quàm illa, in qua idem dicitur de ſe ipſo, per ly dicitur, non intelligit prædicatur, propter cauſam ſupra aſſignatam, & hęc videtur eſſe

Replica

vera mens Boethi. ¶ Sed dices contra, nam tunc hæc ſolutio eſſet vera, quando interdici, & prædicari eſſet differentia, ſed non reperitur differentia inter dici, & prędicari, ergo ſolutio eſt nullã, & probatur, nam Ar. in ante præd. cap. 2. 3. 1. poſt. 4. 33. & ſexcentis in locis accipit dici pro prædicari.

Solutio.

¶ Pulchra quidem replica; & valde ad propoſitum, tamen ſcias, ꝙ mos eſt Ar. non ſemper vti illo verbo, dici, pro prædicari, ſed aliquando, nã multotiens ſumit ly dici, pro nominari, vt in cap. de ſubſtantia, dixit, ſubſtantia eſt quæ propriè, principaliter, & maximè dicitur, id eſt nominatur, vbi ſi ſumpſiſſet ly dicitur, pro prædicatur, tunc dixiſſet quid contra ſe ipſum. ſ. ꝙ ſubſtantia prima propriè, principaliter & maximè prædicaretur. ex hoc ergo ſoluatur replica, & reſtat firma noſtra ſolutio, ꝙ maxime eſt differentia inter dici, & prædicari, et hanc profecto ſolutionem pauci animaduertunt.

Dub. propria.

¶ Sed quoniam determinatum eſt ſingulare nõ prędicari per ſe, ſed per accidens, & ne aliquid intactũ remaneat, exſtat quidem pulchra dubitatio, quę eſt talis, probans; ſingulare nec de ſe ipſo, nec de alio poſſe prædicari per accidens [illegible] 1. poſt. 33. [illegible] ante pręd. cap. 2. ait, quòd ſingulare eſt illud, quod non prædicatur de aliqua re prædicatione notificãte eius eſſentiam, neque prædicatione non notificãte eius eſſentiam, vnde fiat ratio difficilis; id, quod non prædicatur de aliquo prædicatione notificante eius eſſentiam, neq; prędicatione non notificante eius eſſentiam non prædicatur neque per ſe, ne que per accidens, ſed ſingulare (vt dictum) non prædicatur de aliquo prædicatione notificante eius eſſentiam, neque prædicatione non notificante eius eſſentiam, ergo non prędicatur per ſe, neque per accidens, ſolutio ergo eſt falſiſſima.

Solutio.

¶ Pro ſolutione nota, quòd per accidens eſt duplex, quodam reducibile ad per ſe, quodam non reducibile ad per ſe, dicas ergo, ꝙ ſingulare non prædicatur per accidens reducibile ad per ſe, ſed prędicatur per accidens non reducibile ad per ſe, vnde defendendas duas concluſiones, prima eſt talis; ſingulare prędicatur per accidens. ſecunda; ſingulare non prædicatur per accidens.

Defendũtur duæ cõcluſiones.

¶ Dubitant latini probantes; ſingulare de pluribus prędicari, dicentes; hic qui venit eſt Callias, quòd confirmamus ex Ariſt. 1. priorum c. 23. immo dicunt, ꝙ multi homines eodem nomine vocantur, vt Viuolus eſt Franciſcus, Vicomercatus eſt Franciſcus, Burana eſt Franciſcus, Lombardus eſt Frãciſcus, ergo ſingulare de multis prædicatur.

Solutio.

¶ Soluitur; ꝙ prædicatio eſt duplex, quædam ſecundum nomen, quædam ſecundum rem, dicas ꝙ ſingulare prædicatur de pluribus ſecundum nomẽ, non ſecundum rem, vel impropriè, non autem propriè, vel ſecundum vocem, non ſecundum ſignificatum, vel prædicatur æquiuocè, non vniuocè, vel inordinariè, non ordinariè, vel de modo incõſueto, nõ de modo conſueto, vel præter curſum naturalem, non ſecundum curſum naturalem, & vt omnia vnico verbo amplectamur; dicamus cum Ariſt. 1. priorum cap. 23. prædicatur ſecũdum accidens, innaturaliter, non per ſe, & naturaliter.

Replica.

¶ Sed replicabis probans, ſingulare naturaliter de ſubiecto prędicari ſic; accidens naturaliter de ſubiecto prædicatur 1. poſt. 149 & 5. & 7. met. 59. ſed ſingulare ſubſtantiæ eſt accidens, ergo ſingulare naturaliter prædicatur: minor probatur ex Ariſt. 1. poſt. 32 vbi ait; quæcunque neutro modo inſunt accidentia ſunt, i. illa, quæ non ſunt in primo, nec in ſecundo modo dicendi per ſe, ſunt accidentia, ſed ſingularia neutro modo inſunt, quia non genus, non differentia, non definitio, non accidentia eſſentialia, ergo ſingularia ſunt accidentia communia.

Solutio.

¶ Soluitur exponendo tex. Ariſt. hoc modo, quando dicit; quæcunque, id eſt prædicata, quæ prædicantur de ſubiecto, et non ſunt in primo, vel in ſecundo modo dicendi per ſe ſunt accidẽtia, id eſt ſunt prædicata per accidens, vt ſunt accidentia communia, & ſingularia ipſa, & alia: ex cuius tex. interpretatione iam patet replicam, licet ſit ſubtilis, eſſe nullius momenti.

Dubit.

¶ Sed dices, quæ differunt [illegible] ſunt accidentia 1. poſt. [illegible]. in epit. log. cap. de demon. ſed ſingularia ſubſtantiæ differunt materia ex libro deſtruct. diſp. 1. in ſol 7. dubij Auer. vbi aſſerit ſic, immò indiuidua abinuicem diſtinguuntur materia, & 7 met. 28. materia diuerſa ſunt eadem ſpecie 1. met. 40. & Alex. in paraphraſi de anima cap. de intellectu in habitu, ac dilucidiſſimus The. 1. de anima. cap. 24. habet, ꝙ omnia, quæ eadem ſpecie ſunt, vt ſunt ſingularia, participatione materiæ diſtinguuntur, ergo clare ſumitur ſingularia eſſe accidentia, & per conſequens naturaliter prædicari.

Solutio.

¶ Soluitur, verùm nota, ꝙ differre aliquod ab aliquo per materiam biſariã legitur apud Ar. vno pacto eſſentialiter, vt riſibile differt ab hinnibili per hominem, tanquàm per ſubiectum. 1. poſt. 31. alio modo accidentaliter, id eſt per accidentia communia inſequentia materiam, vnde dicas, ꝙ illa ſunt accidentia, quæ eſſentialiter differunt per

mate-

materiam, non autem accidentaliter, vt ſunt ſingularia ipſa, quæ diff.runt adinuicem per rectitudinem, & curuitatem, albedinem nigredinem, ægritudinem, & ſanitatem, & alia huiuſmodi materiam inſequentia, & ſic non tenet ratio. **Replica.** *¶ Sed dices 10 met. 25. materia non facit differentiam, ergo ſingularia non differunt per materiam neque eſſentialiter, neque accidentaliter. ¶ Soluitur, ſupponendo vnum, quod materia eſt, duplex, quædā prima, quædam ſecunda Au. 8. met. 11. quo ſtante dicas, q materia prima eſt illa, quæ non facit differentiam, quia in ipſa conueniunt omnia hæc naturalia 12. met. 14. & 1 met. 17. in fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum, tamen materia ſecunda facit differentiam, & de hac materia non tenet argumentum.*

Dub. *¶ Vltimo dubitatur probando ſingulare propriè, principaliter, & maximè prædicari, & non per accidens: ſupponendo vnum, q Ariſt. non facit differentiam inter dici, & prædicari in ante prædicam. & in prædicam. & ſexcentis in locis, vnde arguatur ſic; ſubſtantia propriè, principaliter, & maximè dicitur in cap. de ſubſtātia, Ariſt. ergo ſubſtantia propriè, & principaliter, & maximè prædicatur, ergo non per accidens (vt fuit dictum.)* **Solutio.** *¶ Soluitur, negando præſuppoſitum, quod eſt falſiſſimum, nam differt dici à prædicari, & Ariſt. non ſemper accipit ly dicitur, pro prædicatur, ſed aliquando accipit pro nominatur; appellatur., nam, quando dixit, ſubſtantia, quæ propriè principaliter, & maximè dicitur. ly dicitur, ſumitur i. appellatur, nominatur, non prædicatur, & ſic dubitatio ſoluitur; reſtat ergo ſingulare per accidens, & indirectè prædicari de ſeipſo, vel de alio ſubiecto, & non per ſe.*

Dub. *¶ Dubitat quidam pedagogus dicens, duæ negationes affirmant, ſed Ariſt. in ante prædica. ait cap. 2. alia verò neque in ſubiecto ſunt, neque de ſubiecto aliquo dicuntur, vt quidam homo, & quidam equus, ergo videtur per has duas negationes, q ſubſtantia prima prædicatur.* **Solutio.** *¶ Soluit, vt pedagogus re, & vultu, & dicit, q apud Ariſt. duæ negationes non affirmationis, ſed negationis vim obtinere videntur.* **Al. & melior ſolutio.** *¶ Soluitur, & peripateticè, q duæ negationes quando cadunt ſuper vnum prædicatum, tunc affirmationis vim obtinere clarè videntur, vt homo non animal eſt, ſed quando duæ negationes cadunt ſuper diuerſa prædicata, tunc nulli dubium eſt, q ſignificant expreſſam negationem, vt Porphyrius feciſſe manifeſtè videtur in cap. de differentia, quando dixit, genus neque nihil horū eſt, id eſt, genus, quod eſt animal, neque eſt rationale, neque mortale: a pari ſoluitur locus Ariſt. quando dicit, neque in ſubiecto ſunt, neque de ſubiecto prædicatur, illa negatio, neque, bis poſita cadit ſuper diuerſa, & ſic non affirmat, ſed maximopere negat dicens, q ſubſtantia prima non eſt in ſubiecto, neque prædicatur de ſubiecto, hæc dicta ſatis ſint circa huiuſmodi quæſitum, quod ſanè a nullo vnquam expoſitorum ita exactè, elaboratè pertractatum, ſicut ipſe Viuolus in eius dilucidatione elaboraui. Quæ ex peripateticorum placitis in medium produximus ampliſſime Antiſtes, tibi recognoſcenda mittimus, quæ eo cōplectaris animo, quo ego tibi dedico. Vale quàm feliciſſimè.*

L A V S D E O.

Imprimatur. Honofrius de Porta Vic. Gen. Neap.
M. Philocalus Pharaldus Carmelita vidit. fol. 27.